

MARTINI à BAVMGARTEN 2!
IN BRAITENBACH,

Equitis GERMANI Nobilissimi & Fortissimi:

PEREGRINATIO

J N

Ægyptum, Arabiam, Palæstinam
& Syriam:

In quâ

De harum Regionum, inibi Insularum, Urbium, templorum, situ, naturâ,
monumentis, ruinis: Gentium ritu, moribus: nonnullorum Regum
exteriorum ortu, incrementis, actis: terrestrium marinorumque ani-
malium proprietatibus, rerumque diversarum Historiis: ab experien-
tiâ & probatissimorum Auctorum suffragiis, utiliter & jucundè, tri-
bus libris, differitur.

CONSENSU, SVMTIBVSQVE NOBILISSIMORVM
HÆREDVM CHRISTOPHORI—PHILIPPI
à BAVMGARTEN & C. MARTINI FILII,
in lucem edita,

STVDIO ET OPERA

M. Christophori Donavéri, Ratisponensis.

Præfixa est Equitis vita, eodem Auctore.

Undè

Cum duplici, rerum & verborum, INDICE.

NORIBERGÆ, ex officina Gerlachiana, per
PAVLVM KAVFFMANNVM.

C L O I O X C I V .

BAVMGARTNERORVM INSIGNIA.



VILBO, quem rabies stimulat, vi fortis & irā
 Fertur in objectam, quā fremat illa, feram :
 Sic face succensus **FAMAE, MARTINIVS Heros**
 Inq̃ solo fremitus irruis inq̃ mari.
 Ardua virtutis via. praestat sudor Honori:
 Quisquis it hunc pressum, prenditur antè malis.
M. C. D.



NOBILISSIMIS,

splendore virtutis & pro-
sapia præstantibus VV.

BERNHARDO HOFERO AB
*V RFARN, in Holzhausen, Almans-
hausen & Grasselsing.*

JOACHIMO à LEVBELFING,
in Hauzenstein & Salern.

HIERONYMO KOLB AB
*HAILSPERG, in VVisend, Palatino
Praefecto Velburgiano.*

JOANNI WVOLVFGANGO
*à RVESTORF, in Ruestorf, Trucht-
ling & Boigen.*

JOANNI GEORGIO HOF-
FERN à LOBENSTAIN, in Cell.

DOMINIS ET FAVORIBVS MEIS
observandis, multam S.

A 2

EN



N VOBIS POSTVLATVM
laborem , præstantissimi
VIRI. Materni Proavi ve-
stræ prolis PEREGRINA-
TIONEM; Quæ si hâc fa-
cie, hoc habitu satis com-
tè in scenam prodit, vestræque satis-fit exspe-
ctationi, equidem gaudeo. Studium adhi-
bui certè, an id, quod voluistis vos, sim adse-
cutus, judicate; Quos lectores mihi, scriptiq;
non solùm Patronos, verùm, ut ipsi virtutis &
Equestris gloriæ æmuli, liberalique doctrinâ
plæriq; estis imbuti, ita vos prolis fideles stre-
nuosque ad eadem animi vera & nobilissi-
ma ornamenta, Hortatores, Manuductores,
volo, oro, obtestor. Sic demùm, honori ipsi,
Deo gratam, Reipublicæ utilem, familiis ho-
norificam, vobismet decoram, educabitis,
videbitis, spe animi lætâ, S V B O L E M. Quam
ex animo vobis singulis precor. Valete VV.
Nobiles, Præstantes. ex Musæo meo Calend.
Ianuar. Anno M. D. X C I V.

Obnoxius vobis & volens:

*M. Christophorus Donnærus
VVisena Palatina Pastor.*

L E C T O -



LECTORI S.

LECTOR MEVS, BENIGNAM
 mihi mentem debes, daturō tibi
 Scripti hujus caussas. Erunt for-
 tasse, qui ambitionem Editoribus,
 mihi imputabunt polypragmosynin, derisores at-
 que arrosores strenui. Edunt illi suo are, ut in-
 ter se factorum MARTINI adseruent memo-
 riam, & ut seri hujus familiae honestissima Ne-
 potes haberent, quod & avitum cognoscere
 gauderent, & emulari anniterentur. Eri-
 guntque

Caussa e-
 ditæ Hi-
 storiz.

MARTINO, EQVITI HONORO,
 PIO, MAGNANIMO,

Literarium hoc Monimentum:
 Observantiæ & Adfectûs publicum
 testimonium.

Perscripsi ego, licet non propriè Professionis mea, Perscri-
 Historiam: partim, ut voluntati poscentium, ^{ptæ.}
 de me optime meritorum, Heredum CHRISTO-

PHORI—PHILIPPI à BAVMGARTEN (qui id ipsum paullò antequam ex his emigraturus esset miseris ipse cupiebat seriò) morem gererem: partim ut horis subsceivis paganam hanc, in quâ ago, condirem mihi solitudinem: cui etiam ita divinis operari studiis semper allubuit, ut ne literis humanioribus atque Musis suavisissimis, repudii divortiive darem libellum. Si pecco hâc in parte Nasutis, sanè peccârunt ante me pariter, & plures & celebriores. Suntq; abundè, qui illam sublimiorem scribendo in Professione Theologicâ cum laude terant viam: mea cymba legit littus, ut acerbos devitet scopulos, remigantibus in hoc mari heu obvios hodiè ubique.

SED & hoc te monitum velim, Lector bone; Incides in nonnulla, de quibus Moderni peregrinatores aliter scripserint, & quæ aut sublata jam prorsus, aut nunc alterius dominii: ne cogites iccirco vana esse quæ hîc asseruntur: Mil-le casibus & mutationibus hæc externa objecta sunt, quæ partim vetustate edaci, partim bellorum scævæ turbinibus, in varias vertuntur statuum facies. Et sanè temporis spaciū, quod his
lustra-

lustratis observatisque, & nunc elucubratis, fuit interjectum, haud est modicum, anni videlicet octuaginta sex : in quibus nos nostraque, non dicam in aliam formam abire, sed interire, hoc mundi squalore, possunt. Et mihi temerè immutare quidquam, aut ad forum fingere, fuit religio. Hæc sunt, quæ mihi ad te prefato opus, Lectorem amicum, quem hinc oblectationem quandam capere, & uti cupis, valere, optat, precatur tibi serio.

DONAVERVS.



MARTI-



MARTINI à BAVM.

GARTEN IN BRAITEN-

bach &c. Aurati Equitis

V I T A.

*Nativitas
Equitis.*

Locus.

Parentes.

Educatio.

NATUS EST HIC MARTINVS ANNO CHRISTI 1473. ipsâ Novembri luce memorix consecratâ Episcopi, cujus sortitus est nomen. In oppido KOPFSTAIN sive KVEFSTAIN, quod Ducatus quondam Baviaræ, MAXIMILIANVS I. Imperator, comitatu Tyrolis manu potenti adiecit, circa annum CHRISTI 1504. PATRE IOANNE viro præpotenti & opulento, qui ex prolis numero, divinâ benedictione susceptæ, duodeno, cum nobili fœmina ELIZABETHA SOITERINA à Windâ, tertio hunc genuit MARTINVM, eumque ab ineunte ætate optimis literis & dignis nobili homine moribus, imbui curavit.

*Æta juven-
tutis.*

*Conjugium
primum.*

Ephœbis Scholisque egressus & Martis cepit tractare, bellis atque duellis, operas: Musarum pariter pullus, Martisque minister strenuus.

Postquam autem ætatis compleisset annum 26. ad conjugium appulit animum, & ei desponsata lectissima genere & dote virago, BENIGNA, strenui viri CHRISTOPHORI SCHELLERS à Gartenau, Equitis aurati filia: præsentē & consulente Nobilissimorum virorum coronâ: IANO Ebron à Wildenberg Equite: Iacobo & Vvilhelmo Haunspergiis: Sigismundo ab Apfenthal: Marco Höhenfelder: Iano ab Offenhaim;

Offenhaim: Petro à Baumgarten Nobilissimo Iureconsulto; GEORGII Ducis Bavari intimo Consiliario: VVolufgango item & Iano Baumgartneris: Georgio à Kemmatau, Ianoque Trenbeccio: in æde Quæstoriâ Burckhufii, 7. Septemb. Anno 1499.

Hâc cum Maritus vixit annos sex, & genuit filium unum IOANNEM, filiasque duas: ANNAM & MARGARITAM. *Proles primi tori.* verum & hæ & iste primo lactentis ætatulæ flore animulas DEO reddidêre Datori. Pignora insequuta mœsta Genitrix fatoque præmaturo abrepta 17. Novembris Anno 1505. *Obitus prima conjugis.*

Orbus in domo Sole & Prole MARTINVS, atque exinde animi ægritudine, imò vitæ tædio plenus, cepit fallendi angustantis ipsum temporis cogitationem inire, & pro devotis seculi istius opinionibus statuit HIEROSOLYMA, sepulcrum DOMINI, Montem Sinai &c. visere. Vovit, confecit, laboribus & sumtibus pariter magnis: assumpto secum Sacerdote, VINCENTIO quodâ & famulo GREGORIO, quorum cognomina indagare usque non potui. *Occasio peregrinationis.*

In hac peregrinatione longinquâ & diurnâ quæcûmque singulis diebus vidit, animadvertit, audivit, diário suo, stylo germanico & difficulter adsequendo, ipse commendavit. Sed & famulus GREGORIUS, latinè ut potuit tulitque seculum istud, visa gesta que consignavit. Ex utriusque coadhibito DIARIO hæc mihi, hæc formâ, hoc habitu disposituque, nata HISTORIA. quam nunc Latinam (atque forte an propediem, jam conversam à me, Teutonicam) publici juris fieri, defuncti Christophori-Philippi à Baumgarten (qui fuit MARTINI Equitis è conjugio secundo Filius) NOBILISSIMI HAEREDES, voluerunt & curârunt. *Diaria ex quibus hæc nata Historia.*

Redux è Peregrinatione Tori secundi sociam acquirit, generosi & strenui Domini, DOMINI THOMAE COMITIS à LIECHTENSTAIN de Karneidt &c. Filiam, Virginem. *Conjugium Equitis alterum.*

NEM APOLLONIAM, anno CHRISTI 1510. die 9. Ianuarii, Kuefftenii.

Suscepit ex hâc Filios octo:

*Liberi è
secundo
toro.*

Franciscum,
Bartholomæum,
VVolfgangum,
Martinum—Philippum,
Christophorum—Philippum,
Ianum—Philippum,
Davidem, &
Paulum—Degenhardum.

Filiasq; tres:

Catharinam,
Barbaram, atque
Elizabetam.

*Christo-
phori Phil-
ippi filii o-
bitus &
meritissi-
ma laus.
Hujus fi-
lia.*

Quo in numero unus CHRISTOPHORVS-PHILIPPVS ad septuagesimum ætatis annum superstes vixit. Fatis in VVisenâ Palatinâ apud Generum cedens, 17. Maii, Anno 1593. adeptâ pietatis, constantiæ, beneficentiæ, laude immortalis; Qui ipse reliquit filias sex, Nobilium antè scriptorum matrimonio junctas, quarum una Marito MORENAVIO Tyrolensi, dudum orba, vidua agit ætatem suam.

*Squius
p. 111.*

Circa annum CHRISTI 1520. quando ministerio electi divinitus Organi D. MARTINI LUTHERI doctrina cœlestis repurgari ceperat, agnovit & hic MARTINVS, Eques nobilis, ex diligenti lectione, meditatione & precibus, Spiritu sancto duce, veritatem Euangelicæ lucis, eamque amplexus toto pectore confessus est ore & scriptis: Liberos suos in capitibus pietatis, ut debuit, erudiit summâ fide: perpeffus id propter odia & afflictiones multiplices. Quem contra tentationis nimbum, literis consolatoriis non raro viro robur addidit Lutherus, cujus apud me autographon evidens.

Zelus.

*Hic agnoscis hæ-
reticum.*

Quantum autem in veritate Euangelicâ profecerit, imò quantus Theologus, etsi non professione, fide tamen, scri-
ptis,

ptis,praxique extiterit, cognoscet cordatus & æquus lector *Scripta.*
 è nonnullis gravibus viri epistolis, quas concioni funebri,
 habitæ Christophoro-Philippo filio, in VVisenâ Palatinâ
 annexas, unâ cum D. Lutheri consolatoriis, volente D^eo
 videbit. Animadvertes utique Zelum pietatis ardentem,
 magnum & inconcussum animum, multam lectionem, ac-
 curatum judicium, summâ, abundè quod & mireris & di-
 scas, Lector, invenies.

Ceteroquin de vitæ suæ cursu & actis ipse M A R T I N U S
 à B A V M G A R T E N ad quempiam Iureconsultum in aulâ
 Cæsareâ, malignantium calumniis & invidiâ circumven-
 tus, in hunc modum, ut stylum istud ævum formabat, scribit:

S. DOMINE DOCTOR.



R O G O Dominationem vestram, me quàm citò po-
 teritis recommendare Domino S A L A M A N C O, Im-
 peratori & Illustrissimo Principi nostro F E R D I -
 N A N D O, ut propalet sequentes articulos: quò sciat
 quis ego sim, & quid fecerim pro utilitate Domûs Austria. Ro-
 gôque ut vos interrogetis undiquaque benè de vitâ & actis
 meis, cum quâ diligentîâ laboraverim, & quomodo profecerim
 in Mineralibus, & adhuc sperarim D^eo dante proficere Illu-
 strissimo nostro Principi, si me adjuvet, ut non ab inimiciis meis
 subvertar, sed remaneam apud inceptum laborem meum.

Equitis li-
 teræ, ex ma-
 nuscriptâ
 ejus scidâ.

I. Ego sum Equus auratus & Nobilis. In peregrinatione
 ad S. sepulcrum D O M I N I & S. Catharinam, Eques factus,
 Anno 1507. postea à Cæsareâ Majestate M A X I M I L I A N O,
 secundo Eques creatus, Anno 1508.

Bis Eques
 creatus, &
 declaratus.

I I. Pater meus multum profuit D D. A. sapè sine omni
 interesse ipsi mutavit pecunias multas in necessitate, etiam

Parentis
 merita in
 D D. A.

in rebus mineralibus, scilicet in argento, cupro &c. cum majori principum commodo quàm nostro, ut jam pra oculis videtur.

Damnum
ex fidei-
fione.

II I. Pater meus ad instantiam & complacentiam Imperatoris Maximiliani, solvit pro A. D. C. predicto Maximiliano 3 2000. florenorum, ex quo evenit nobis heredibus tale dampnum, valorum plusquam quinquaginta millium aureorum: potestis in Schvvat& & undequaque inquirere veritatem hujus rei.

Labor in
Minerali-
bus.

I V. Ego nihilominus fortiter laboravi in mineralibus, videlicet in Ratenberg, ultra 28. annos. In Luent& ultra 12. annos. In Schvvat& semel fraudulentè ante 13. annos sum deceptus: taliter, quod vendidi omnes partes meas, sed iterum ante 4. annos recuperavi alias partes, quas adhuc laboro, & sic in istis tribus locis exposui de bonis meis ultra triginta millia florenorum, licet quòd Camera Principis annatim habuit redditos suos, in his pronomiatis temporibus plus valorum quàm 30000 florenorum, tamen adhuc commodum meum non erat pra manibus, sicuti scit Dominatio vestra, quòd vult habere tempus suum.

Per bellum
dispendium

V. Ego ante annos 18. in bello cum Bavaris hic peracto perdidì in hac civitate & in fufinis extra civitatem de bonis meis plusquam octo millia florenorum. ita non peperci bonis meis.

Equitis ex-
peditio.

V I. Ego ante annos 12. ad scripta & complacentiam Imperatoris Maximiliani ivi armatus in Luent& cum equis & vehiculis, meis expensis, & steti per medium annum illic: Interim recuperavi ibidem Mineralia & strenuè laboravi, adhuc nunquam datus est mihi denarius pro expensis & laboribus meis multiplicibus & magnis.

V I I. Jam per tres annos strenuè contristatus sum à creditoribus

ditoribus meis, qui mihi aliquantulum mutuaverunt certas summas denariorum, ad pactum argenti & cupri. Et ex quo non potui ad competens tempus solvere ipsis secundum pactum nostrum, licet cum tempore omnia benè solvantur, tamen non solum pacificare mecum nolunt, sed & undique ubi ego practicaui circa alios mercatores pro pecuniis, ut possim ipsis satisfacere & complere opus inceptum, pro utilitate Domus Austria & meâ, insidiosè per practicas suas pervertunt sensus illorum, ne me adjuvarent, solummodò hâc de causâ, quòd viderunt me cum ingentibus laboribus & summâ diligentia tantum laborasse, & ad lucem plures pulcras res mineralium denudasse, quâ, DEO dante, mihi totique Domui Austria prosperabunt ad maximam utilitatem & honorem. Hoc libenter vellent destruere ipsi, & opus ferè completum quasi impræparatum ad manûs suas rapere. Quapropter ex omnibus prædictis actibus meis & parentum Antecessorûmque meorum tantam spem confido, Illustrissimum Principem Ferdinandum Ducem meum, uti laudatur esse amicus veritatis & equitatis, me adjuturum, quòd ista insidiosa practica prædicta non prævaleant contra me, sed cum adjutorio gratia sua tenebit me apud structissimum laborem meum. Si non in toto promerui, tamen in futurum promerebo circa Illustrissimam gratiam suam, si adjuvabor in his rebus. VALER.

Eques oba-
ratus.


Martinus à Baumgarten.

Obitus. **Q**UIT autem in verâ IESV CHRISTI agnitione, ardenti invocatione, constanti confessione, Eques pius, honorus, magnanimus: Anno DOMINI 1535. ætatis suæ sexagesimo secundo, cum certasset certamen bonum, servasset fidem illibatam puramque conscientiam. Kuefftenii. Sepultus ibidem in sacello fundationis BAVMGARTNERIANÆ: ubi expectat lætam carnis renovatæ ad immortalitatem resurrectionem, in glorioso Restitutionis omnium DIE. Quam unâ nobis & quotquot SALVATORIS diligunt verè fideles apparitionem, clementer largiatur DEVS trinamonas, sanctus, justus, verax, æternus, ab æterno in æternum benedictus,

A M E N.



MEMO-



MEMORIÆ, DESIDERIO Q;

Martini, Aurati Equitis:



Christophori—Philippi, F.

B A V M—G A R T N E R O R V M.



T nihil in terris durable! cœu marcescit

Flos hortis, mortis sevitiâ occidimus.

Sic tibi decussum decus ARBOS MARTIA Cauro,

Et concisa solo brachia, robur, apex.

S V R C V L V S à radice has consurgebat in auras,

HORTI delictum nobile Bojarici;

Florebat, fructusq; dabat benè factus. & ille, heu!

Aruit, immiti fulmine stratus humum.

O permutatam sed in aurea commoda sortem!

ARBOR honora HORTIS utraque calicolum.

Cedrorum Libani instar ubi Palmaq; vigere

& datur aternis luxuriare comis.

Qua trans-plantat eò, Mors est. & eâ inconcussa

Salvisco CHRISTI sanguine nixa FIDES;

Hâc benè pugnabant, vincebant. hâc quoque pugna,

Vincere supremo quisquis agone cupis.

A L I V D.

CHRISTOPHORO—PHILIPPO

cum lessu fufum.



H R I S T I F E R, atherias sedes & mollia prensans

Fata, fide atque obitu: me vocat alloquio.

B 4

En

*En morior. tibi vita solo DONAVERE superstes
 Morbida, mi surgit vivida vita polo.
 Junxerat, abjungit, conjunget JOVA. sequamur
 Quò vocat, utq; lubet. Sic ait. exit. ovat.*

*Fortunate SENEX! requies tibi parva laborum,
 Ocia, caelesti cum grege tutus agis.
 Nos CAPVT infestat Nigrumque Nivensque, tremendâ
 Vi, fraude: hunc sternens corpore, at illum animâ.
 Diluvium terris scelerum execrabile inundat,
 Sunt fraudes laudes: fit nihili probitas.
 Pestis, Bella, Fames, hoc Mundi fine vigeſcunt.*

*(Quippè IMA haud ſolùm, PESSIMA FUNDVS ha-
 Et CHRISTO adſciſcente quis hinc exire timeſcat? (bet.)
 Sèque obitu Mundi ſubtrahere exitio?
 Quando voles, mea vera SALVS, terrena relinquam,
 Tu modò SPERM noſtris ſuffice pectoribus!
 Mundo nulla ſalus, te cælum anquirimus omnes,
 Felix, qui purâ tendit ad aſtra Fide!)*

*Exanimi ô IEſV columen, VIS fata, renaſci
 Tu mea fac reduci frigida membra die:
 Cælica ut ante tuos conteſter gaudia vultûs,
 Et mediter laudi perpetuale melos!*

M. Chriſtophorus Donavérus R.

QVI SEMINANT IN LACRYMIS, IN EXULTATIONE METENT.

Meum ex Pfalm. cxxvi. Symbolum.

IMVS, qua ferimus, quò ſemina dia ſeramus:
*Quando gena ſaliſis ſapè madent lacrymis,
 Farra ſed & meſſus portabimus ampla maniplis,
 Latiçiâ in reditu nos comitante novâ.*

PIIS BENE.

AMEN IEſV!

INDE

INDEX RERVM.

REGIONES.

Epirus, id est, Chaonia
Peloponesus.
Laconia five Oe-
gyptus. (lia.
Arabia.
Iericho.

Regio. { Sodomorum.
Gad & Ruben.
Bakar.
Nathalia five Oetolia.
Palæstina.
Syria &c.

INSULÆ.

Corcyra. Corphun.
Celaphonia.
Morea. Chersonessus.
Cythera.
Creta. Candia.
Standia.
Carpathus.
Chius.
Cyprus. Cetim. Salamina.
Scandilora.
Rhodus.
Cyclades.
Carpathos.
Tenedos.

Delos.
Falconaria.
Strophades.
Zacynthos.
Itaca, vallis de compare.
Leucas, Dulichium.
Paxus, Antipaxus,
& plures aliæ.

MONTES ET PROMONTORIA.

CEraunia.
Garganus.
Collis Iovis.
Ida.
Promontorium Samonium.
Criomethopon.
Horeb.
Sinai.
Mons Oliveti.
Quarentana.
Antilibanus.
Libanus.
Metapano promontorium.
Promont. Acarnaniæ.
Neritos.
Mons Dodone.
Cahocista.
Montana Anconæ &c.

B S

URBES

VRBES ET OPIDA.

CASTELLA.

Venetia.
 Rubinigo Histria.
 Pola.
 Corinthus.
 Lacedæmon sive Sparta.
 Ragusium.
 Lepontum.
 Modona.
 Lesina.
 Candia sive Gnosus.
 Piscopia.
 Famagusta.
 Nicosia.
 Hydruntum.
 Dyrrachium.
 Budua.
 Velona.
 Nicopolis, sive Leucas.
 Zazynthos.
 Alexandria.
 Rossetum.
 Cayrum.
 Alcanica.
 Cattia.
 Gazera sive Gaza.
 Hebron.
 Hierosolyma.
 Bethlehem.
 Segor.
 Damascus.
 Baruthum.
 Tripolis &c.

Pharon.
 Pharus.
 Baldach.
 Rodzi.
 S. Petri.
 Neapolis de Romania.
 Malvasia.
 Tornezi.
 S. Maura.
 Sibinigo &c.

Loca, quorum in sacris
 mentio fit.
 Reges, Populos, Viros.
 Gentium ritus.
 Narrationes Historicas.
 Naturæ miracula.
 Maria, Portus, Flumina,
 Fontes.
 Beluas, Pisces, Aves.
 Arbores, Fructus.
 Tempestates mari perpe-
 fas.
 Terrâ pericula, insidias,
 & alia:

*Legendo cognosces, & exhibe-
 bit singula INDEX ver-
 borum juxta ordinem Al-
 phabeti in calce libri.*

Z H T H M A



Z H T H M A

Ο Δ Ο Ι Π Ο Ρ Ι Κ Ο Ν .



S *t* *vetus & longos benè disceptata per annos*
Quaestio, qua dubios nunc quoque mentis habet:
Sitne viro licitum peregrinas visere gentes,
Atque illis jungi jure sodalitiis?
Pars negat, & tectis abigit, murisq, repellit,
Si quis ab ignotis advena tecta petat.
Primus in his magnus, morum Lacedamone censor,
Qui abstinuit cives externa adire suos.
Nectulit externos longi convictibus avi
In se Spartani sumere jura soli.
Neu peregrina luem fundat contagio morum,
Quis infecta novis civica turba studet.
Et sic his studiis à se formata dehincat
Publicares, morum & pondere tractaruat.
Barbara Lex magni censoris cetera recti,
Qua non humanis usibus apta satis.
Officium in vitium trahit, & malesuada trahendo
Virtutis vera destruit omne decus.
Non etenim fructum spectat; quin sola voluptas
Causa est, quâ cives externa adire vetat.
Occupat ille animum firmum, cui discere cura, &
Dives ab externis dotibus ire domum.
Hac fluxum invadit, cui mens lustrare, vagari,
Cui mens est luxus munia prava sequi.
Sicne igitur culpam paucorum in lata putabis
Mori praeclaro semina nequitia?
Non ita, non; plures rectos in pectore motus,
Qui illecebris pugnant cum ratione, fovent.

Absit

Abſit & à cultu luxus, faſtidia geſtu,

Tu qua ſceptra tenes, PROVIDA CVRA, caues.

Pars ait, & teſtis recipit, communéque jus dat,

Si quis ab externis advena teſta petat.

Graiiis, Romanis, Pænis, hic gloria prima eſt,

Quorum amor hoſpitibus non dubitatus erat.

Utilitatis habet varia argumenta, quod omnis

Culta peregrinis mens generoſa probat.

Namque viri ingenui major prudentia ab uſu

Fit, caſus varii dum monimenta docent.

Dum res indagat ſtudio, & mora nulla recondit

Inventas, agilis corpore, mente tenax.

Excolit incultos mores, ſit ut aptior uſui

Omni, quem vita regula dia ſonat.

Inſtar habet magnum à cunctis, majorque videri,

Cujus ut à ſenſu pendula corda gerunt.

Semper enim in dubiis dat certa oracula ſalutis,

Rerum è notiçiâ ceu locuplete penu.

Nunc dubitas peregrinari ſitne utile? certè

Non dubitas; faciunt tot bona magna fidem.

Hac ita diſſerui: monuit verò inclyta virtus

HEROIS, cujus nobile cernis iter.

Docto quod calamo DONAVERI Muſa paravit,

Vota cui debes linguâ animoque volens.

Nam tibi ſi ſapis, eſtq; opera indefeſſa legendo Hoc,

Quò vix ferre pedem jam potes, ire licet.

Oſvaldus Martheſonius
Ratiſponenſis.



P E R E-



PEREGRINATIONIS BAVMGARTNERIANÆ

LIBER PRIMVS.

Peregrinationem enarrans in Ægyptum & Arabiam.

C A P V T I.

Expatriâ Kueffstein recta VENETIAS commeant. huius
Encomion. inibi mora. Et quâ causâ.

 NNO AB INCARNATIONE DOMINI,
1507. Mense Aprili, auspicabar ego Martinus à
Baumgarten, invocato divini numinis auxilio, as-
sumtoq, Vincentio Sacerdote & Gregorio ministro, iter meum.
Quod VENETIAS primùm dirigebam urbem, imò celebran-
dum toti orbi spectaculum, è mediis surgentem fluctibus, in quâ
cum nihil ferè victualium gignatur, omnia tamen satis su-
pérque abundant. De quâ quidquid dicitur, totum laude
ejus inferius est, superat enim omne elogium, vincit omne pra-
conium. Reperimus autem ibi complures ex diversis orbis
partibus ejusdem cujus & nos animi, peregrinatuos, qui navi
propriâ consensâ inde solverunt brevi. Mensem ultra nos
remanfimus, Satiùs rati, sine tumultu ac trepidatione nobis
consulere, ac pro voto nostro in locis illis ad satietatem commo-
rando deliciarì. Id quod in tam numerosâ & dissonâ turbâ
commode exsequi non posse, à plarisque eam peregrinationem
C exper-

Comites &
ministri
Equitis.
VENE-
TIAE.

Vide Lau-
rentium
Schrædum
lib. 3. Monu-
ment, Ita-
liæ, pag.
290.

Mora inibi.

expertis jam pridem didiceramus. Interim verò necessariis tanto itineri preparandis tempus impensum est, in quo etiam urbis conspeximus penitus magnificentiam, sacras lustravimus ades, monumenta, hortos, & quae ibi in pretio.

CAPUT II.

EX VENETIIS discessus. prima intempestas perpeffa mari.

AT verò ad 25. diem Julii, factâ inter Patronum navis quam conscensuri eramus, ac inter nos, de naulo conventionē: locus nobis in navi, simulque navigandi dicitur dies. Qui postquam advenerat, & aura vela vocarent, certatim Nauta confluunt, adsunt Negociatores, merces inferunt, navem complent: quando neque nos in morâ, cum sarcinolis nostris in scaphâ, quae vulgò Barca dicitur, Navis sive Galéa adnavigantes, extra portum tensis velis in altumiturienti. Ventus à puppi exoritur, tumido impletur Carbassus Austro, volat unctâ carina, ac portus nobis urbésque recedunt.

Periculum. Sed ecce, non multò post, Euro se violenter immittente, ac nimbos procellâsque ferente, tempestas vehemens coorta, ad locum unde sublatis anchoris solveramus, invitos nos & admodum contra-nitentes, impulit. Fit clamor ingens ac trepidatio nautarum: veriti enim ne vis procellae navem in vada caca impelleret, ubi haud dubiè periclitandum erat, vela omnia complicant: remis incumbunt, clamore pariter ac labore se mutuò cohortantes. Et horrendum nobis erat clamores nautarum audire insolitos, planctûs ac gestûs videre miserabiles, qui nos plus ipso periculo reddiderant exanimatos. Jactis igitur anchoris totam illam noctem non sine ingenti molestiâ jactabamur, galéâ veluti ebriâ temerè saltante, nobisque nedum somni, sed & reficiendi & consistendi facultatem eripientē.

Dura

Dura hac nobis navigandi initia visa sunt, verum spes divini auxilii interea nos pascens ad hac & ampliora subeunda ausumdabat.

CAPVT III.

Instabili excipiuntur primis diebus aëre. ad Rubinigo Histriae applicant.

DI *B* itaque 26. Iulii Sole exorto ventus ille omninò conticuit: Nos inde libenter vela explicuissimus, sed quia placidum ventis stabat mare, remis aliquandiu incumbentes parum quid profecimus. Mox flatu secundo surgente undique conclamatur, ter tuba intonat, ter fit precatio, ter in sublimē manūs cum clamore porriguntur: vela cadunt singula, nos alacres provehimur,

Discat navigare, qui ne scit orare.

Pleno fulcantes æquora velo.

Mutante verò ad meridiem die, aura item mutatur: venti adverso murmure intonant: leguntur vela, de prorâ jactur anchora, sicq; temporis illud ac insequentem noctem nunc supra nunc infra jactamur gurgite vasto. 21. & 28. diebus similem passi fortunam vix tandem ad 29. propè R

RUBINIGO HISTRIAE.

opidum pervenimus; Quod in HISTRIA situm VENETIS paret fascibus. Navem ibi sistimus, opidum intramus, reficimur, pauxillum simul comparantes commeatum, dein ad infanos redeuntē fluctūs. Crescebat autem ventorum ira, ita ut unī anchora non satis fidentes alteram eā majorem mari immitteremus. Sicque illic toto triduo detenti, non sine fastidio substitimus.

CAPVT IV.

Subintrant POLAM. inibi mora. Captura Toninorum piscium. Assequitur commorantes POLAE, TONGOBARDINVS EX VENETIIS redux.

DI *B* 2. Mensis Augusti vento licet exiguo, secundo tamen, velificamus, tertiā die portui POLAE subintramus. Por-

C 2

ro hac

POLA, quæ
Pietas Iulia
dicta Plinio,
lib. 3. ca. 19.

in hac civitas illhac tempestate HISTRIAE caput, clara
& amena. A COLCHIS ut ferunt primum inhabitata,
post ROMANA Colonia effecta est.

Amphithea-
trum Po-
lanum.

Testantur hoc & AMPHITHEATRI moles maxima &
monumenta pervetusta innumera. Navi itaque nostrâ, por-
tû tutissimo ibi & amplissimo, stabilitâ egressi, jungimus hospitio
dexterâ ac testâ subimus sex illic dies subsistentes, partim com-
meatum comparando, partim expectando consociam nostram
Galëam.

Mora Polæ
& ob quid.

Captura
Toninorum
piscium.

Interea verò venationi cuidam benè grandium piscium
quos TONINOS nominant, spectaculo nobis admodum jo-
cundo adfuimus. piscium genus robustum, capite magno, exili
caudâ, sed acutâ. Capiuntur verò eo modo. Mos est eis men-
se Sextili & Septembri gregatim vagari & commisceri, in lit-
toribusque sibi colludere. Ubi ergò in portûs angustias deven-
erint, à pueris, ad id altâ arbore ordinatis, adesse conclamantur.
Tum verò ad hoc piscapium velut ad hostem excipiendum tota
ruit civitas. Pars ex naviculis retia tendens, ac viam effu-
giendi praecludens: Pars verò in littus effusa ferreis & his
præcutis sudibus quasi cum hoste congressura expectant, quo-
usque eis TONINOS & retibus & clamoribus in littus co-
actos contingere detur. Tunc igitur robustissimus quisque ju-
venum nudus inter pisces insiliens sudibus ac uncis passim in
aquam verberat; dùmque piscem apprehenderit, fit sapius, ut
dum eum extra aquam elevare nititur, ipse vicissim ab eo in
aquam precipitetur. At piscis cum telo & vulnere effugere
volens, ad naviculas in orbem circumstantes fertur, sed quia
fuga retibus circumsepta est, ab hisque qui in naviculis sunt,
desuper percutitur, veluti furibundus ad littus inter caden-
tium verbera se corripit. Sed neque ibi pacem videns, inter
cadentium pedes huc atque illuc quasi desperatus volvitur,
donec & suo ipsius impetu & plagarum frequentia tandem su-
peratus in littus ejicitur, ubi à turbâ hominum imbecilliore
saxis fustibusque obruitur. Piscis tanti roboris, ut quamdiu
caudam

Robur pi-
scis.

caudam sub aquis habeat, etiam à quantumvis forti superari agrè valeat. Capti sunt eo die quinquaginta sex. Postridie centum. ac demùm, centum triginta duo. Quo piscapio & tota ferè ciuitas & Galèa nostra repleta vili emendo, triumphum duxit opimum, salitisque eius usque in Alexandriam abundè usa est.

Captorum
numerus.

Die 10. Augusti Galèa socia nostra appulit: ferens secum TONGOBARDINVM SVLTANI Egyptii ad VENETOS Oratorem; Qui ubi terram cōtigat à Gubernatore ciuitatis gloriōse exceptus, magnificè tractatus est. Extra urbem arbor quædam peruetusta, patulis diffusa ramis, sub cuius radicibus fons vivus, imò Najadum domus, aquis scatebat salubribus. Sub ejus arboris umbrâ sedilia serico adornata: mensæq; diversi generis apparatus longo famulorum ordine administrabantur. Illic postquam Tongobardinus cum suis locatus esset, ego etiam cum meis, nonnullisque Negociatoribus Venetis, acciti consedimus: commanducantes, ac ex gelido fonte oblitos crateras (aestus enim erat) vacuantes. Illic ego ac ex convivantibus plerique ex immaturarum uvarum è su gravem contraximus febrem, quam tamen triduoano jejuniò afflictam expulimus.

Tongobardini accessus.

Convivium cum Tongobardino Polæ.

CAPVT V.

Discessus ex Polâ. Discrimen pelago secundum.

DIE 11. POLA soluentes cum ex portu in altum progressi anchoras jecissemus, numerusque nautarum non conveniret, tam diu ibi tenuimus, donec scriba Capitanei Polam repetens expleto nautarum numero remeasset. Verumtamen cum Solis occubitu nymbus tempestasque secuta vela nos dare prohibuit, ita ut & postero die eadem tempestate laborando nusquam pedem moverimus.

Die 13. vento secundo adspirante cum inde sustulissemus, diem illum ac insequentem noctem salubriter navigavimus, ita ut jam amplius nulla visa sint terra, sed calum undique &

Discrimen
mari se-
cundum,

undique Pontus. Continuo venti volvunt mare, magnaque surgunt Equora &c. & inhorruit unda tenebris: procella item & fluctus validi ingentesque adeo intumescabant, ut Galéam sapenumero supergressi operirent: vasa etiam in navis jacentia superiori, quadam auferret, quadam vero per portam, temere tunc patentem, in inferiora Galéa (ubi nos trepidantes ac de nobis actum credentes jacebamus) violenter dejecit. At ubi Neptunus placidum caput extulisset undis, nocte insequenti Adriaticos fluctus commodè sulcavimus, eadem temperie etiam die postero usi. Hinc partim fluctuoso partim velivolomari navigavimus.

CAPUT VI.

Galéæ Praefectus recenset armaturam. Navis
solia frangit antennas.

Recensio
armaturæ
nauticæ.

jactura an-
tennarum.

DI E 16. prosperum ventorum nacti sibilum, à sinistris habuimus RAGVSIVM, Dalmatia urbem insignem ac sui juris, à dextris vero, licet valde procul APVLIAM ac montem GARGANVM. Sequenti die Praefectus Galéa nostra armaturam suam recensuit: Sagittariis, Bombardariis, Portulantiisque: suum cuique locum indicit, monens, forti fiant animo, si res tulerit. Illi ordine per proram facto, ac in puppim gyranter, virtutis sua clara dabant argumenta. Quidam validis flexos incurvant viribus arcus, Prose quisque viri, & depromunt tela pharetris. Quidam strictis gladiis scuta quatientes, ac nunc antè nunc retrò prosilientes, se strenuos fore ostentabant. Quidam hastis in longum porrectis hinc atque illinc impetùs vibrabant, quasi jam præ oculis hostem haberent. Hoc itaque peracto exercitio Praefectus collaudatis singulis, pocula bellariaque distribuit. Eodem tempore Galéa consocia nostra ponè legens aquor, dum velorum sinùs obliquat in ventos, ac cornua velatarum obvertit antennarum, antennas fregit: quam nos diem noctemque contractis velis expectavimus, quoad confraeta reficiens nobis approximaret.

CAPUT

CAPVT VII.

Ceraunia. Epirus. Cimeritæ. horumque reportata
à Turcis victoria.

DI E 18. ventis secundis velorum iterum pandimus alas, ac
provecti pelago CERAUNIA procul per proram conspe-
ximus. Sunt verò Ceraunia (dicta vulgo Cymera) Montes Ceraunia
Epiri altissimi, à crebris sic dicti fulminibus: circa quos finem
esse Adriatici ac principium Jonii maris Strabo asserit. A qui-
bus montibus iter est in Italiam, cursusque brevissimus undis:
Quippe quem Aeneas ille Virgilianus dimidia noctis spatio
transfretavit.

Porro Epirus hoc tempore ARTHON dicitur: Et hi, qui Epirus.
Ceraunia incolunt, CIMERITAE dicti, Christiani sunt Gra- Cimeritæ.
cis moribus, liberi: ut qui nec Venetos nec alium quemvis di-
gnantur Dominum. Sed neque TVRCVM, quamvis vici-
num & potentiâ formidabilem, verentur. Qui quoniam totâ
ferè Epiropotiatur, indignum ratus sitam modica gens & pau- Cimeritarû
percula sibi obsisteret, proximo eos mense cum quinque millibus
hominum adortus, ne unum quidem ex tantâ clade suorum su-
perstitem habuit. Id quod nos & ab ipsorum naviculâ nobis
obviâ, & à totâ postmodum Corcyra verum esse didicimus.
victoria re-
portata à
Turcis,

CAPVT IIX.

Descriptio CORCYRAE, urbis & Insulae, exploran-
tur venti, pauca de Celaphonia,

DI E 19. vento admodum leni utentes in conspectum CO-
RCYRAE venimus, ac postero die aurâ secundâ crebrescente
Insula ipsi appropinquamus. Obviam autem Galéam Corcyre-
tam habemus, quæ mare illud propter Turcos pyratas tueba-
tur: qua ubi ex cunctis signis amicos nos agnovit: vexillis in
sublime erectis, tubarumque terno concentu nos gratulabunda
salutavit: ac BUTHROTUM, celsâ Turcorum urbe, ad fini-
stram
Buthrotum,
de quo Plin.
lib. 4. cap. 1.

*stram relictâ, in portum usque conduxit. Egressi itaque, Gracam urbem nocte jam subobscurâ conscendimus, sicq; cor-
pôra cibo somnôque laticuramus. Die 21. urbem, arces, ac eis*
CORCYRA. *vicina lustramus. Hac Insula in mari Jonio sita ac Adriatico
vicina, ambitu centum viginti miliarium cingitur. Phaa-
cum ôlim Patria & Alcynoi regnum: nunc Veneta est ditionis.
Quâ parte Orientem mediûmque solem respicit tota ferè est &
humilis & peramœna: Baccho, Pallade ac alio arborum, diver-
sôque genere, consista. Epiro ferè contigua. Porro urbis pars*
Corphun. *(vulgo ea ut & tota Insula, CORPHVN dicitur) duabus egre-
gie & munita arcibus & conclusa, terribilem hostibus inten-
tat faciem. Ejusdem diei vespërâ, commeatu comparato, Ga-
léam conscendimus, rursûm molestias passuri marinas. Die 22.*
Exploratio *postquam Palinurus noster ventos explorasset, atque auribus*
ventorum, *titionêque in mare projecto aëra captasset: vela damus lati, &
spumas salis nave secamus, prosperam naçti navigationem.*
Celapho- *Die 23. priori aurâ durante CELAPHONIAM abscondi-*
nia, *mus, quæ Insula in mari IONIO sita teste Plinio libro 4. Nat.
Hist. Menala quondam dicta est: Fuitq; ut per totam Odysseam
ostendit Homerus, sub Vlysis Imperio: nunc verò VENETIS
paret: quicam non sine cade suorum paulo superius TURCO
ademerant.*

CAPVT IX.

Peloponessus sive Moréa explicatur. Et in eâ urbes.

DIE 24. Peloponesso adnavigamus. Hæc regio pænè insu-
la est: haud facile ulli terra nobilitate postferenda: inter
duo maria, Ægeum & Ionium: dicta sic quasi PELOPIS
INSULA, cujus circuitus quingentorum sexaginta trium mil-
lium passuum colligitur. Eadem, teste Herodoto lib. 1. primo sic
dicta. (PELOPONESSVS) post Danaa. deinde Achaia.
Peloponess. *at ævo nostro Morea. Ejus pars est Laconia. ante Oebalia no-*
Iaconia. *minata: ubi Lacedæmon, quæ & Spartha, oculus Græcia, fuit.*
Spartha. *Porro ea strictura quâ PELOPONESSVS continenti iun-*
gitur

gitur, ISTHMVS dicitur: quinque millia passuum latitudinis Isthmus.
 continens. Illic CORINTHVS est, nobilis Romanorum Co- Corinthus.
 lonia, clara olim opibus, post clade notior: ex summâ arce quam
 ACROCORINTHON vocant, utrumque mare contuens. Acrocorin-
 thon.
 Hic etiam Græci Principes TVRCÆE potentiam ac vicinita-
 tem veriti, à mari ad mare traducto per angustias muro: Pe-
 loponessum à reliquâ Graciâ secluserunt: murum ipsum appel-
 lantes Hexamilon: quem postea AMVRATHES Turcorum
 Imperator, Græcis dormitantibus, vel pavore percussis, diru-
 tum tandem solo aequat. Ipsa etiam MOREA Chersonessus
 dicitur, quasi terra insula: nam nisi parvo continenti junge-
 retur, Insula dici posset. Die 25. prospero usque vento LEPON-
 TVM urbem Morea præterlappsi, in conspectum MODONÆ Lepontum,
 civitatis venimus: In quâ urbe olim Archiepiscopalis sedes fuis-
 se perhibetur, sed ubi eam TVRCVS Venetis cruentissimo &
 miserrabili pralio ademisset, in Turcorum ritus tota concessit. Modona.

CAPVT X.

Cythera explicatur. vanusque ab opinione metus.

DIE 26. CYRIGO Insulam, qua olim CYTHERA, præternavigavimus. Cythera.
 Hac Insula ultimâ ex Cycladibus ponitur. Eam tamen Laërtius Laconia Insulam dixit. Qua à Ma-
 llea promontorio quinque millibus passuum distans, ancipiti
 est valdè & metuendo pelago, propter angustias. Hac prius
 PORPHYRIS dicta fuit: sed ob celebratum in eâ VENERIS
 templum CYTHERA post nomen accepit. In hoc tem-
 plo ferunt HELENAM à PARIDE raptam Trojano bello
 causam dedisse.

Vespere ejus diei, vento flante leniter, speculator ex sum-
 mâ arce mali quatuor vela venire conclamat. Arrecti ad
 hanc vocem omnium animi: universi locis suis prosiliunt. Fit
 clamor ad arma. arma trepidi capiunt, Turcos rati. Pars sa-
 xa in summa mali trahere: pars bombardas locis suis aptare:

D

non-

Trepidatio
 ab opinio-
 ne.

nonnulli portam, quâ insultus facilius erat in Galëam, occludere: Reliqui quodcumque factum opus erat, facere. Fit trepidatio major ipso apparatu. Præcipue tamen Præfecto reliquisq; Nobilibus Venetis, plus delitiis quàm Marti assuetis, genua labant, gelidusque coit formidine sanguis. Quibus sanè certamen committeres singulare. Sed ubi vela jam propiora facta agnoscere cepissent: vexillis utrinque erectis tuba personans, gaudium ex ultimâ penè desperatione ortum, vitam animumq; ex sanguibus illis reddidit. Porro illi jam nobis viciniore facti, circum nos in orbem gyrrantes, vela demittunt. Eorum priores scaphâ delati, ad nos conscendunt, quæ nova sint ex patriâ sciscitantur: De Piratis Turcorum, si quos fortè uspiam sensissemus, perquirunt. Dicunt se præterea nudius tertius cum duabus Gallicis Navibus conflixisse, ac superatas votoque obstrictas dimisisse. His dictis refectio aliquantulâ perceptâ, provinciam suam curaturi abscedunt. Nobis ab invicem lentoflatu digressis aura fortior cum nocte exorta terram diemque ex oculis abstulit.

CAPUT XI.

Creta, in hac Gnossus salutatur. Labyrinthus describitur.

Creta Insula explicatur, & promontorium Samonium. illustratur locus Actorum 27.

DI 27. cum pro voto nostro Zephyrus pręnantia fecisset vela: tum procul excelsos colles, sublimemque videre cepimus CRETAM. Conclamant socii ac CRETAM GNOSSVMq; salutant. Nos majorem laboris marini viam exactam audientes, lati admodum gratias DEO Opt. Max. egimus immortales: precati, servaret incolumes, quos hæcenus servasset benignissimè.

Bonaza
quid,

Die 28. CANDIÆ urbi jam facti viciniore, ad eam tranquillitate maris, quam Nauta Bonaza vocant, laboravimus, ut vix horâ noctis tertiâ CANDIAM contigissemus. Et quia nox atra erat, & nulla obscuro fulgebant sydera calo, portusque angusto

angusto clausus ore suspectus nobis esset: remis magno cum labore sublatis nec sine discrimine, in portum tandem delati, complicatis velis Galéas sistimus.

Die 29. Galéis egressi, intramus GNOSVM urbem, nunc **CANDIAM**, quo etiam nomine tota reliqua Insula nominatur. Post domum ingressi peregrinorum, quam dux quidam **BVRGVNDIAE**, qui & ipse easdem oras peregrè lustrando pro peregrinis emit, erexit atque ditavit: illic requievimus. Hac est **GNOSVS**, ut meminit **Diodorus Siculus**, **TITANVM** olim Patria, post **MINOIS** regnum: portu ac turribus superba: nunc **VENETIS** serviens. In conspectu ejus versus Austrū collis quidam proeminet, hunc Incola **JOVEM** vocant, eò quod ibi sepulti **JOVIS** penè clarum vestigium & sepulcrum est, cui insculptum eius nomen ostendebant accolæ.

Gnosus five Candia.

Collis Iovis.

Porrò à **CANDIA** contra Meridiem 30. ferè miliaribus **IDA** Mons **CRETAE** altissimus, & sublimitate & famâ nutriti **JOVIS** celebris, est: in medio ferè Insula, cujus circuitus sexcentorum stadiorum esse traditur. Sub ejus montis Radicibus **LABYRINTHVS** usque hodiè extat: **MINOTAVRI** domus, imò carcer & inexplicabilis error: saxo exstructus ingenti: unum in se descensum habens: intus penè innumera- biles vias (sed nunc, propter subire volentium discrimen, occlusas) multis ambagibus huc atque illuc remeantibus, sed continuo anfractu, & sæpè revocatis porticibus anticipites: quibus subindè alium super alios orbes agentibus, & subindè tamen redeunte flexu, quantum processerat: magno & inextricabili errore perplexus est. Major tamen ejus pars vetustatem sentit & ruinam. Inter quatuor Labyrinthos (**Agyptium**, **Cretensem**, **Lemnium**, **Clusium**) **Creticus** hic famosior, & à Poëtis Græcis atque Latinis maximè detantatus. Fabricatusque à **Dadalo** fabro ingenioso: dicente **Ovidio**, lib. 8. *Metam.*

Labyrinthus Cretensis.

Dadalus ingenio fabræ celeberrimus artis
Ponit opus turbâtque notas & limina flexu
Ducit in errorem variarum ambage viarum.

D 2

Et

Et addit,

— vix ipse reverti

Ad limen potuit: tanta est fallacia testi.

Denomina-
tiones hujus
Insulæ.

Cretensis
nescit mare.
in eos, qui
rem nescire
simulant,
cujus sunt
artifices.
Natura In-
sulæ.

Promonto-
rium Samo-
nium,

Criome-
thopon.

Urbes Can-
diz.

Pagi Can-
diz.

Caterum INSVLA ipsa Bacchi Mellisque apprimè ferax, priùs à temperie cæli MEREA, deinde MACARONESON, id est: beata Insula, dicta: post à numero urbium HECATOPO-
LVS, id est, centum civitatum: ac demùm à Rege quodam Creta: nunc à candore CANDIA dicitur. De quâ Insulâ ARISTOTELIS lib. 2. Polit. sic ait: Videtur hac Insula ad principatum Gracia nata, ac præclarè sita: cuncto namque imminet mari. De quâ, ut ait SERVIVS, dubitant omnes in quo sit mari. Nam à Meridie Lybicum, à Septentrione Ægeum respicit: ab oriente Icarium, ab Occiduo Jonium sive Mirthoum intuetur. Hic rem nauticam initium habuisse tradunt, proverbiumque hoc natum: Cretensis nescit mare. De hac etiam Solinus tradit: quod ager Creticus sylvestrium caprarum copiosus sit: cervo egeat: lupos, vulpes, aliaque quadrupedum noxia nusquam educare soleat: larga inibi vitis, mira Solis indulgentia, arborarii proventus abundantes. Avem noctuam Creta non habet, si invehatur emoritur. Porro nimia terra fertilitas & bonitas incolas suos corrumpit. Verùm est etenim illud Apostoli usque hodie, mutuatum ab Epimenide:

Cretenses semper mendaces: malæ bestię: ventres pigri. Demùm Insula hac versùs Orientem habet promontorium SAMONIVM, quod vulgus Chao Salomon dicit: quod in Actis Apostolorum Salomon nuncupatur cap. 27. ubi sic habetur: Prohibente nos vento adnavigavimus Creta-juxta Salomonem &c. Ad Occidentem verò hujus Insula est promontorium Criomethopon, quod Fontem arietis interpretantur. Ex tanto autem olim numero urbium: septem sola extant in Candia oppida: scilicet CANDIA: CHANEA: GISSAMO: RETHIMO: YERAPITRO: SITTIA: ARCHADIA. In quarum primâ Archiepiscopus, in ultimâ Episcopus sedem habet. Pagi verò 1400. asseruntur.

CAPVT

Periculum mari tertium. Carpathus Insula describitur.

COMMERTV interea comparato postquam dies secunda
Septembris illuxisset, & tuta esset Pelago fides, Deducunt
socii naves portumque relinquunt. Mox ad sinistram **STAN-** Standia,
DIAM Insulam radentes, ubi sub **SITTIA** opidum Creta Sittia,
venissemus, ventus nos instabilis excepit, qui nos aliquando por-
tum petere, aliquando verò vela dare in altum faciebat, nosq;
sali ludo fatigabat sapissimè. Tandem, cum nos alto commis-
semus, ad 20. miliaria retrò acti sumus, & **STANDIA** eferè
allissi: quod ne fieret summâ omnium ope laboratum est.

Tertio, 4. & 5. diebus, eodem maris infortunio molestati, vix
tandem **SAMONIUM** Creta promontorium attigimus, sicq; Cancerizane
navigando.
die 6. Cretam post tergum reliquimus.

Die 7. complures Insulas & scopulos praterlabentes, etiam
SCARPANTHO Insulam, olim **CARPATHVM** dictam prae- Carpathus,
terivimus. Hac Insula teste Pomponio lib. 2. inter **Aegyptum** &
Rhodum sita, regnum Vatis Prothei: ut ait Plinius, Carpathio
mari nomen dedit, estq; sub Venetorum imperio.

Die 8. aura leniter sibilans cum nautas à labore conti-
nuo aliquantisper tandem laxasset: illique ludis, saltibus at-
que choreis cultiori vestitu secure vacarent: venit ecce turbo Turbo cum
imbre.
insperatus: prae ruptum aqua cumulum super **Galeam** tor-
quens: qui omnes illos, & quosdam etiam ex nostris copiose ope-
ruit: ac conclamantibus illis ac refugientibus: quasi ob hoc tan-
tum exortus, repentè totus disparuit. Inde saluberrimo aucti
vento tantum eo die profecimus, quantum antea nunquam.

CAPVT XIII.

Conspicitur Alexandria. discrimen in portu. excipitur ho-
norificè Tongobardinus Orator. mari ad tempus
valedicitur.

DIE 9. circa meridiem speculator per proram videri **ALEX-**
ANDRIAM conclamat. Nos arrectis simul auribus at-

D 3 que

que animis, eò quòd finem laboris marini haud procul abesse audiremus, gaudio perfusi non minimo gratias altissimo Deo egimus.

Dein circa vesperam ALEXANDRIAM contingentes, cum ad castellum PHARON, quo portus & clauditur & ornatur, venissemus, demissis omnibus (ut mos est) ob reverentiam SOLDANI, velis, portui tandem optato subintramus. Illic GAMALI, Turcicarum Praefectus navium, paullo ante nostrum adventum appulerat: ac exposito in terram Turcorum ad SOLDANVM Oratore, in medio ferè portu naves statione tenebat. Nos ventorum propulsi impetu contra naves ejus retè inferimur. TURCI nos id de industriâ facere rati: ad arma profiliunt, clamorem simul & arma in nos tollentes. Sed ubi ex clamore nostro miserabili rem percepissent, veriti etiam portus libertatem, à nobis desistunt. Sicque cum ingenti labore vix Galéas nostras à Turcicis sejungentes, jactis anchoris capimus stationem. Noctem illam totam ferè duximus in somnem. Turci enim nos vario tympanorum & cantus genere inquietantes, similia ex adverso facere compellabant, rem ad nos quarentes: nos patienter verò conticescere.

Die 10. jubare Solis exorto TONGOBARDINVS SOLDANI Orator nobiscum ex Venetiis advectus, galéâ egreditur. Undique visendi studio Alexandrina juventus

Circumfusa ruit, properatque effundere honorem.

Excipitur
Tongobar-
dinus è Ve-
netiis re-
dux,

Princeps Civitatis, qui illic SOLDANI vices gerit: cum vario dissonò, & barbaro tympanorum genere, multis comitatus Mamalucis, omnibus equos egregie insidentibus, cum honorificè admodum excepit. CONSVL etiam VENETVS, qui illic suis negotiationibus praeerat, scaphis magnifico apparatu adornatis, cum tubis ac vexillis ORATOREM prosequutus, Barbaris omnibus admirationi fuit. Præterea omnes quæ in portu erant naves, infinito penè horrendoque bombardarum crepitu, ignis jaculatione, ac clamore vario, honorem TONGOBARDINO exhibebant.

Die

Die 11. in Diverforium Venetorum intrantes mari ad tempus valediximus. Et quia habitu Mercatores non peregrini videbamur: liberum habuimus ingressum & egressum. Adde quod & pecunias nobiscum paucas portabamus, Cambio ex Venetiis hucusque usi: alioquin solvere nos oportuisset grandem dacionem: Sarracenis omnia diligenti exploratione perscrutantibus. Bonam tamen pecunia partem inter carnes suillas, quas illi obominantur, abstrusas tute salvavimus. Interea Duce Veneto quodam per nominatiora urbis loca ducti: plura illic memoratu digna vidimus, qua explicatâ urbis origine subinferam.

Stratagemata
celandæ in
istis oris pecuniaz,

CAPVT XIV.

Alexandria describitur. inibi Pyramis: Christianorum templa. Clari olim in literis viri. Negociationes. Columbarum industria. Portus. in avellanis & castaneis questus. Tongobardini nequitia.

ALEXANDRIA igitur Egypti civitas maxima, ante CHRISTI DOMINI nostri Adventum, 320. annis ab ALEXANDRO Magno condita in maris Egyptii littore ac parte Aphrica, non procul ab ostio Nili, quod Canopicum pluvium, aliqui Heracleoticum dicunt. Hæc urbs Auctoris opus, nomen ac bustum: ad quod JULIUS ille Caesar per speciem Alexandria. Religionis venisse fertur: munitur undique à vastâ solitudine, ab importuoso mari, à fluminibus, à sylvosis paludibus. In cujus urbis augmentum, ut Diodorus Siculus testatur, ceteri post Alexandrum Reges omnes incubuerunt, adeoque donis plurimis & decoris rebus exornârunt, ut prima apud quosdam in orbe habita sit. Habet, ut Josephus meminit, in longitudine stadia 30. Est verò tota subfossa specusque habet ad NILVM Aquæductus in Alexandria. pertingentes, quibus aqua in privatas inducitur domos, qua paulatim temporis spatio subsidet ac clarescit: hæc uti domini adium cum suâ familiâ consueverunt: Nam qua Nilo flumine fertur,

Aque Nili.

Forma urbis.

Pyramis Alexandrina.

Lucanus lib. 3.

Templa Christianorum in Alexandria.

Doctores, qui claruerunt Alexandria.

fertur, ad eam est limosa atque turbida: ut multos variosque morbos efficiat: sed eam plebs ac multitudo necessario contenta est, quod in tota urbe fons nullus publice habeatur. Et hac tempestate foris quidem decoris mœnibus, firmoque & sublimi murorum turritorum ambitu speciosa est: intus vero ubi ingressus fueris, non civitatem, sed stupendum quendam lapidum acervum videbis. Rara enim in eam domus integra: sed platea admodum spatiosa. Porro ubi quondam ALEXANDRI steterat Regia: exstat usque hodie PYRAMIS, solidi & rubri marmoris, palmarum lata undecim, totidemque spissa: mira altitudinis: capitellum habens subacutum, quae tota quanta est, ab imo ad summum characteribus, tum animalium tum ceterarum insculpta rerum, documento est, Egyptios olim ejusmodi usus figuris pro literarum apicibus.

Testis rei hujus Lucanus Poeta, cujus hi sunt versûs:

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, & saxi tantum volucresque feræque
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

Ferunt quidam, Pyramidem illam, ROMAE circa sanctum PETRI, Caesaris JULII ossa continentem, vicinam huic de qua praefatus sum, olim stetisse: Verum hac illam & altitudine & magnitudine superat.

Sunt usque hodie in ALEXANDRIA Christianorum quaedam templa, inter illa unum ad S. SABAM dictum, quod à Graecis tenebatur; in alio loco erectum S. MARCO templum vidimus, quem ei urbi primò CHRISTVM in eodem loco pradicasse ferunt, monstrantque inibi Baptistèrion, traduntq; MARCVM in eo baptizasse. Illic retrò altare jacebant vetustissimi Graecorum Codices, Athanasii, Cyrilli, Irenaei compluriumque aliorum opera, carie, tineis & quadam ustrâ ferè consumpta. In hac olim urbe multi in divinis literis eruditissimi viri claruere: PHILO natione Judaeus, qui multa utilia conscripsit. ORIGENES presbyter. ATHANASIUS ejus urbis Episcopus excellentissimus & constantissimus. DIDIMVS. THEOPHILVS.

IOAN-

IOANNES ELEYMONA, & multi alii, quos recensere & longum foret & difficile. Hic etiam sub PTOLOMÆO PHILADELPHO, septuaginta claruere INTERPRETES. Hic praterea ævo nostro complures diversi generis merces ex multis orbis partibus conuecta visuntur. Hic negociatores Veneti duos fonticos habent, multis refertos bonis, quibus CONSVL vir magnificus præst. GENVENSES etiam, Turca atque Scythæ, qui & ipsi aurum habere jam didicerunt, singulos fonticos habent, quos Sarraceni singulis noctibus deforis occludunt. Sunt etiam intra mœnia, duo satis editi colles, arte laborèque hominum ad hoc facti, ut venientia procul vela conspiciantur. Tradunt etiam, si quando necessitas ingruerit, columbas ad id edoctas ab Alexandria CAYRVV usque literas sibi colligatas deferre.

Columbæ
Alexandri-
næ.

Quod tametsi ipse minimè viderim: eo tamen id credere adducebar, quòd non à vulgaribus id personis dictum ibi audierim: maximèque quòd PLINIVS obsidione Mutinensi BRVTVM in castra Consulum Columbam cum Epistolâ pedibus annexâ misisse cõmemorat. Extra urbis mœnia est columna Magni POMPEII, sexaginta cubitorum, ubi & caput ejus reconditum asserunt. De urbe tantum. Ceterum PORTVS Alexandria est talis, quòd etiam in pace navibus aditu difficilis. Nam & ostium perangustum habet, saxisque latentibus à directo cursu deflectitur. Et sinistra quidem pars manu factis cingitur brachiis: à dextra verò PHARVS objecta insula, turrim cum castello sui nominis, sustinet: quæ turris olim maxima & inter septem mundi spectacula numerata ad 300. stadia navigantibus ignis lucem ministrabat: ut quàm longissimè difficultatem applicandarum navium præcaverent. Intus tamen portus ipse tutissimus est, ac 30. ferè stadiis magnus: in què tam quæ desunt illi terra ad copiam devehuntur, quàm ea quæ superant ex bonis domesticis & indigenis atque exoticis in totum orbem divisa exportantur.

Vide Cla-
riss. I. L I-
P S I Satur-
nal. Sermón.
Lib. 2. cap. 6

Columna
Pompeii.
Portus A-
lexandriæ.

Pharus,

Strabo. l. 15.
Mola. lib. 2.
Plin. lib. 2.
cap. 85.

Convivantes quodam die cum Negociatoribus hac inter
E cetera

Merces avel-
lanarum.

Merces ca-
stancarum.

I A N V A-
R I V M.

Tongobar-
dini ne-
quitia.

cetera à fene quodam Veneto didicimus. Asserebat is ipse, navem sibi unam nucibus avellanis oneratam quotannis ex Apulia adventare, atque exinde sibi decem millia nummorum aureorum provenire. Præterea aliam navem castaneis plenam similiter quotannis Tripolim Syria applicantem circiter duodecim millia aureorum sibi constare. Idque idèd esse: Mauros scilicet & Egyptios, Syrosque ac alios Mahometica sectæ Populos fructuum esui adsueto: quoniam fructus eorum licet & optimi & varii proveniant, durare non possunt, omnes astate vel absumere vel ad alias orbis oras transmittere, atque ita hyeme totâ maximè verò cum mensem suum jejunt, nucibus castaneisq; vesci, cum præcipuè eiusmodi genus fructuum apud eos non nascatur, & aliunde allatum nec putrescit in multum tempus, nec à foricibus ut apud nos devastatur.

Per id etiam tempus comparavimus comœatum resque alias quæ itineri nostro convenire videbantur. Tunc etiam TONGOBARDINO Mamalucho commendati ejusque familiaritatem ac colloquium frequens adepti, quinquaginta aureos, quos illi seraphos vocant, ei obtulimus: quo sub ejus umbrâ & patrocinioperegrinationem nostram securius perageremus. Et ille quidem quàm diu nummos à nobis speraret: affabilem se nobis exhibens, nusquam se nobis defuturum pollicebatur: Ubi verò auri, propter quod id agebat, deglutisset offam unam atque alteram, limis nos adspiciens supinâ prateribat aure: nobis omnia (ut externis) equanimiter & tolerantibus & dissimulantibus.

C A P V T X V.

Pergunt, veniuntque Rossetum. Nilus Ægyptusque describuntur.

VBI verò dies 22. Septembris illuxisset, singuli singulos conscendimus mulos: ac cum nonnullis negociatoribus Italis, Rossetum. Duce quodam Mamaluco, versus ROSSBTVM profecti, ubi ad ur-

ad urbem portas perventum est, sex pro capite argenteos, qui apud illos Maydini dicuntur, singuli solvimus. Exinde per sylvam palmiferam, ac vario olentissimarum genere arborum exuberantem pergentes, sub Palmâ quadam daëtylis non praecocibus onustâ confedimus, ac eo quod quisque secum tulerat in medium & in commune prolato refecti, ex proximo fonte siti nos futura preparantes, abundè bibimus. Inde per paludes, quas NILVS jam tum decrescens reliquerat, aliquandiu pergentes, ad mare devenimus, atque ita bonam ejus dici partem perëgimus equitantes. Post ad alias vénimus Paludes, ubi ARABES quidam piscantes à nobis viminisque extorquent ut pro singulo capite duos eis Maydinos contribueremus. Demùm à mari paullò recedentes, ad tugurium quoddam desertum, Sole jam in occasum vergente divertimus: mulos colligamus: salum potamus fontem, sub dio in molli sabulo quiescimus.

Latrunculi
Arabes,

Erat tum verò Luna pernox, quo fiebat, ut ejusmodi nondum assueci lectisterniis, latrocinia insuper timentes, vix illic quatuor horis exactis, rursum nocte sublustri, inde recessimus. Deinde vénimus in desertum mollissimis ac cadentibus arenis conspicuum. Surgebat verò tum ventus lenis à mari, qui cumulos & colles arenarum passim antè & retrò faciendo, iter confundebat nostrum: fiebat quippe, ut cum pra oculis iter haberemus planum, multi continuò colles insurgerent: qui iterum brevissimo spacio displosi in aliam transvolabant partem, nobisque ac jumentis nostris prospectum simul ac iter turbabant. Tali pacto cum multum hinc inde eligentes vias, errassemus: venimus tandem ad sylvam quandam palmiferam, cujus densitate ab ejusmodi periculo contecti, quò Gallorum vocabat cantus, eò cursum deflectimus, ac non multò post ROSSETVM intramus: ubi in portumulis exoneratis aliquantulo curamus corpora somno.

Itineris dif-
ficultas,

Est verò ROSSETVM Egypti inferioris oppidum, quod in NILI littore à Meridie in Septentrionem porrectum muro quidem nullo ambitur: sed templorum celsis egregiisque tur-

Rossetum.

ribus magnificè adornatur: adeò ut magna cujusdam & potentis urbis gerat faciem.

NILVS.

Porro NILVS, teste Diodoro Siculolib. 1. à Meridie ad Septentrionem fertur: maximus omnium in mare permeantium amnis: qui septem ostiis mare influens ASIAM ab AFRICA determinat. Ejus fontes locaque, ex quibus oritur, nullus ad nostrum tempus scriptor, neque vidisse se dicit neque audisse ab aliis: Adeoque ejus est incertus ortus: ut ipsum Ascopon, id est, ortam ex tenebris aquam vocent: Nam, ut ait Lucanus,

Lucanus
lib. 10.

—NILI

Arcanum Natura caput non prodidit ulli.

Nilus in S.
Scripturis,

Et Flaccus in Odis, Nilum fontium celantem origines dicit. Hunc litera sacra aliquando GYON, aliquando rivum turbidum, nonnumquam rivum Egypti nominantes, ex fonte Paradysi fluere, atque omnem circuire terram Ethiopia, memorent.

Servius.

Hic itaque immensâ aquarum mole, singulis annis, à solsticio incipiens astitivo, ad usque Aequinoctium, totam exundat Egyptum, semper novum secum ferens limum, atque ideo Nilus dictus, quasi véas idē dicas. Rigat verò NILVS tum cultas tum incultas regiones, quanto velint tempore Agricola. Aquâ enim leniter fluente, facile eam parvis aggeribus aut arcent, aut inducunt pro commodoterra.

Fœcunditas
Nili,

Tantam verò fertilitatem infert & colendi agri facilitatem, ut cum seminatum fuerit, aut oves introducant ad jacta semina conculcanda, aut aratro levi subducant. Neque nisi quatuor aut quinque exactis mensibus ad messem redeuntes brevi tempore uberrimos fructus absque ullâ impensâ aut damno reportent. Alibi agricultura magnolabore exercetur & sumtu: Soli Egyptii minimâ impensâ, labore tenui, fruges fertiles capiunt. Terra inculta ad pastum pecori relicta, adeò herbis exuberat, ut oves & bis pariant anno, & bis lanam prabeant.

At

At verò NILI adspicientibus INCREMENTVM videtur admirabile, incredibile audientibus. Solus enim inter reliqua flumina adeò æstate crescit, cum decrescant cetera: ut totam inundet Egyptum: hyeme minuitur, cum reliqua augeantur. Septem autem ostiorum ejus quibus in mare influit, hæc nomina sunt: PELUSIACVM, quod Arabia oras secatur: CANOPICVM: VOLBITICVM: SEBENITICVM: PATHMITICVM: MENDESIVM & THANITICVM. Licetque habeat & alia permulta ostiola: sed quia hæc ipsa propter paludes & brevia non navigantur, in numero etiam aliorum non censentur. Incrementi ejus causa cum plurima ferantur, hæc ex omnibus videtur verior. Ex Æthiopia scilicet montibus, qui Egypto adjacent, continuos imbres, fluvio præbere augmentum: præsertim cum etiam Barbari ea loca incolentes, huic ferant rei testimonium. Solus hic omnium annuum Nilus neque nebulas neque auram frigidam gignit. Ideoque Egyptus auctore Pomp. Melâ, sola ex omnibus terris imbrum est expers, mirè tamen fertilis, & hominum & animalium ceterorum perfacunda Generatrix. Idem & Plato adstruit & alii Scriptores. Nos tamen tam in Alexandria quàm in Cayro, desertoque ei contiguo pluvias non exiguas vidimus. Sed id non nisi rarissimè contingere ferunt.

Incrementum Nili.

Ostia Nili.

Causa incrementi.

Porro Egyptus terra plana est & campestris: Cùmque urbes, vici, agricolarum mapalia, aggeribus munita, aqua inundationem devitent, tanquam Cyclades apparent adspicientibus. Terrestres beluæ omnes, quæ in campis remanent, aquâ suffocantur. Quæ ad altiora confugiunt loca, evadunt. Pecora inundationis tempore in stabulis reclusa, nutriuntur à colonis pastu ad id antea preparato. Vulgus ipsum remissis operibus rusticis otiosum, epulis ac voluptatibus indulget. Tali pacto Egyptus, NILI divisa brachiis, manui quodammodo expansa similis est. Hæc de Nilo Egyptoque.

Terra Ægypti.

Iucundum Nilo navigium Tongobardino comite: Crocodilus quid animalis. puerorum Arabum pernicitas. peritia Arabum natandi. eorumdemq; Circumcisio.

DIE 24. TONGOBARDINVS, quem tantopere desideravimus, tandem ex Alexandria magno Camelorum stipatus numero advēnit. Nec multum moratus ipse cum rebus suis, duabúsque quas secum ducebat uxoribus, navigium complevit. Mamaluci ejus aliud. Nos Christiani, Judai, Egyptii, & cetera nationes promiscua, tertium conscendimus, ac paulúm ex portús statione inde provec̃ti, navigia simul statuímus circa sylvam quamdam palmiferam. è regione, cujus in alterá fluminis ripá sylvá est maxima, in quá Psitaci sine numero capiuntur.

Psitaci.

PHVA Aegypti Opidum,

Monumēta Aegyptiorum.

Luctús Aegyptiorum & cura mortuorum.

Die 25. cepimus contra flumen velificare, ac eo modo ad Opidum quoddam PHVA dictum delati, in littus egredimur, pausá nos aliquantulá reficientes. Vidimus inibi populum multum ac robustum, littus utrumque malogranatis, palmis, malis punicis, aliisque diversis arborum fructiferarum generibus refertum jocundè contuentes. Inter arbores domús ferè innumera- biles ac monumenta Aegyptiorum, quadam à terrá paulum erecta, quadam in sublime extructa, omnes verò arculariter testudineata, ingens circa opidum spatium sibi vendicabant. Aegyptii enim ex antiquá majorum suorum traditione domos suas negligenter excolunt: circa sepulcrorum verò magnificentiam summum studium operámque impendunt. Mortuos suos fimo aut luto obliti plangunt, nec cremare eos aut sepelire fas putant: verùm arte medicatos & unctos, vel penetralibus, vel sub dio, secundũ fortuna qualitatem, collocant. Plarique verò defunctos aut affinitate aut amicitia sibi precipuos, supra domos in arcubus ad id erectis, includunt, magna id fortuna loco ducentes, si mortuos suos intra lates proprios contineri monstrare possint.

Die 26. postquam inde solvissemus, multa agricolarum prater-

praterlappi sumus mapalia, ac saepenumero in littus exan-
tes, viridique in herbâ fusi, refectiorem capiebamus & cibi, &
ludorum quos exercebant Mamaluci Tongobardiniani. Vidi-
mus etiam eotempore Maurum quendam juvenem, eò quòd
clanculum vinum bibisse deprehensus esset, jussu Tongobardini
quinquaginta acerrimas tum in dorso tum in ventre scuticis
publicè pertulisse plagas.

Maurus Vi-
num bibit.

Ceterum singulis noctibus TONGOBARDINVS lampades pyramidaliter ordinatas erigebat: nec non & tintinnabula velis appendebat, in qua alacres spirantes aura leniter ea concitabant, quo motu dulce admodum ac auribus suavem modulamen continuè resonabant. At qua navi aliâ vehabantur Mamaluci, igneas nocte opacâ sagittas in altum jaculantes, fulgura cadentèsque stellas quodammodo representabant, crepitùsque varios bombardis edebant. Nos tertiâ navi sequentes in patrandis ludis non fuimus extremi. Fuit enim nobis Egyptius quidam Cornicen, qui quantum ad artem vel melodia suavitatem attinet, omninò rudis ac barbarus perstrepebat, sed quia cornu vocale admodum erat, aurâque perflante longiùs ac fortiùs sonitus audiebatur: nòsque rusticitatem ac simplicitatem cantùs apprimè rideremus: ratus ille non irridendi sed commendandi extollendique sui gratiâ id facere, eò fortiùs frequentiusque cornu perflabat, quò nos ampliùs cacchinnantes ac penè risu deficientes cernebat. Atque eo modo noctibus singulis non sine singulari animi oblatione navigantes, per diem adspiciebamus campos amanissimos, arbores comiferas, avèsque nobis incognitas canoro ac dulci concentu aures demulcentes nostras: praterca aër tum lenis, tum saluberrimus placidè spirans, ac è regione per herbas, & arbores odoriferas circumfusus, vires nobis mirum in modum administrabat: utrùmque enim littus cannis saccari & aliis salubribus herbis ferax erat. Qua inter Crocodilos delitescere Nauta afferebant plurimos. Est verò CROCODILVS animal quadrupes (pelles eorum multas adspeximus curiose)

Lampades
pyramida-
les.

Descriptio
Crocodili
five Coco-
drilli,

riose) sic dictum aut quod crocei coloris est, aut quod Crocum odit odorémve ejus. Forma fere per omnia videtur Dracontea. Noctem totam in aquis agit, diei verò majorem partem in humo exigit. Ova edit anserina, ex quibus pullus ad 16. cubitorum magnitudinem excrescit, & ad severantibus Plinio & Solino reperitur nonnumquam 20. cubitorum, tam diu enim crescit quam diu vivit: longitudine autem vita, hominis ferme est. Sola bestiarum linguâ caret. Corpus mirabile, naturâ munitum. Nam dorsum eius universum squamosum est, insigni duricie. Inferius verò mollis est, Delphino iccirco antagonistâ, pinnâ dorsi sub aquis alvum secantem. Oculos habet suis, ex utroque oris latere dentes plures, in quibus duo maximè eminentes. Non solum homines comedit, quibus appropinquantibus humet oculis, inde vorat (unde proverbium Crocodyli lacruma) sed & cetera animalia flumini appropinquantia discerpit dentibus, unguibus, robustis, acutis. Morsu aspero & tetra, ut quod dentibus laceret, nunquam sanetur. Melle delectatur: antidotum ad apiaria crocus est. Ichnemum dormienti per fauces irrumpens & intestina rodens, eum perimit. Terribilis belua trepidantibus fugâ, fugax ipsa ab insequentibus & masculis.

In illos dicitur, qui simulant se magno afflicti ob malû hominis alius dolore, cum malum ipsi struant strenuè.

Pernicitas puerorum Arabico-rum,

Aegyptus bis metit,

His itaque diebus Nilum contra velificantes, saepius etiam naves funibus trahentes; vidimus multos in utroque listore Arabum pueros, à nobis cibi aliquid per famelici expostulantes, qui tanta pedum vigeant pernitate, ut etiam labentes nostras naves cursu aquarent, ac inter currendum plantis posteriora natium quaterent: quo ducti spectaculo panem bis coctum ac varios eis fructus cursu certantibus perniciosissimo, in littus jactabamus. Jisdem etiam diebus praterlapsi sumus villas multas pagosque uberrimos, quos circum infinitam pecorum, camelorum, bubalorum & ceteram eius generis multitudinem conspeximus. Praterèa agricolas fructus ejus anni jam secundo metentes. Bis enim Aegyptus metit, semel in Aprili, iterumque Septembri. Vidimus etiam ARABES, vestibus capiti

*piti superligatis per flumen ita natate, ut medio corpore aquis
mersi reliquo super aquas extarent: sicq; magis aquam ambu-
lare quam natate censeripotrant. Præterea circa quemdam
pagum vidimus Egyptios festum choreasq; ducentes. Erat eo-
rum non contemnenda multitudo, omnes pedestres: è quorum
medio unus sublimi equo insidens, super totam eminebat tur-
bam. Qua res quid sibi velles cum quasissimus, responsum est
nobis: Equitem illum circumcissionem eo die accepisse, atq; eam
ob rem reliquum vulgus circa eum festum agere. Moderni
nempe Egyptii, ut & reliqui Mahometista circumciduntur
quidem, sed non nisi anno decimo tertio, Auctorem in hoc gene-
ris sui ISMAHELEM sequentes, quem, ut Moses Geneseos 17.
cap. ostendit, ABRAHAM pater eâ ipsâ annorum atate cir-
cumcidit: non attendentes ISMAHELEM recenti Iehova man-
dato isthâc atate fuisse, mandatumq; serid, promulgatâ hâc le-
ge, diem octavum. Verùm ita alucinatur faderatio, verbi DEI
incuria & contemtrix.*

Arabum
natandi
peritia.

Circumci-
sio Ara-
bum.

CAPVT XVII.

*Mamalucorum arrogantia. Ingressus in Cayrum. Tongo-
bardinus quis. ejus uxores. pompa sub reditu Cay-
rum & gratulationes. mutatz peregrinantibus ve-
stes.*

DI 28. Septembris pyramidum Memphiticarum moles pro-
cul contuiti, haud procul nos à Cayro abesse cognovimus.
Eodem die novem naves rusticana nostris adjunguntur, quæ
omni victualium genere referta, Cayrum tendebant. Sicque
ejus diei vespere ad BVLACVM appulimus, quod vicinum
Cayronavium Nilo adventantium statio est ac receptaculum.

Bulacum.

Die 29. malis oneratis rebus, ipsi eos præ nobis agentes Cay-
rum versus contendimus. Ibi cum unus nostrum infirmior con-
scendisset Mulum, Mamalucisq; equitibus obvius fuisset: mu-
lo detrusus in terram non leniter deflexit. Volunt enim Mama-
luci, ut dum quis eis jumento quopiam sedens obvia verit: cujus-

Mamaluco-
rum arro-
gantia,

F

cunque

cunque sit ille nationis aut conditionis, protinus jumento desiliens honorem illis exhibeat ac reverentiam. Id quod nos haecenus latebat, sed abhinc egregie doctos reddidit res ipsa & periculum. Brevideinde CATRVN intramus, ac in adibus Tongobardini in assignato loco manentes adventum ejus expectamus.

TONGO-
BARDINVS
Apostata.

Porrò hic TONGOBARDINVS, ex Hispano Mamalucis factus, dum apud suos esset, Diaconi Ecclesia fungebatur gradu. At ubi furoribus Mahometicis futili consensisset fide, Christianorum omnium, licet ab his Apostata, sub SOLDANO agentium protector ac hospes factus, brevi in magnum & auctoritate pollentem coaluit virum. In ejus siquidem ades Christiani Advena recipiebantur. Et Negotiatores quidem duos aureos, hi verò qui peregrè loca sancta visitant, quinque pro singulo capite aureos eidem ipsi pendere consuetum habebant.

Reditus
Tongobar-
dini Cay-
rum.
Vxores Ton-
gobardini.

Adventicia
cena.

Die 30. tandem Tongobardinus ipse vestitus Chlamyde aurea, quâ donatus à VENETIS erat, multis comitatus Mamalucis, domum suam cum ingenti pompâ invehctus est. Ejus VXORES, quinque & triginta numero, in editiori quâdam adium parte adunata, admirando cum clamore cantûque dissono eum exceperunt. Ipse cum his qui secum venerant: quique honorandi sui confluerant gratiâ, equis desilientes, ita ut erant vestiti, pictis cōsedere tapetibus. Erat in medio adium area quaedam, vel atrium satis patens, in cujus circuitu plures erant utrimque Camera, prospectum in atrium habentes, in quarum nos unâ consistentes, patente eâ paulisper, qua in atrio agebantur, perspiciebamus.

Temperan-
tia Maho-
metista-
rum.

Illic ergò, solo tapetibus magnificè strato, ordinati erant 260. magni disci, variûm optimarûmque pleni epularum: de quibus dum omnes illi paullum quid gustassent, attutum consurrexere, ac demùm facultate abeundi acceptâ, cum gratiarum actione singuli se in sua recipiunt graves ac sicci. Porrò epularum omnem illum apparatus, pauperum vorax turba

non

non morata, discerpit: permissâ sibi rei prius libertate. Tunc deinde ad Tongobardinum visitandum multi undique confluunt Procere: inter quos & CALIPHA, id est, eorum Calipha Aegyptius
sive Soldanicus,
PAPA, candidissimo & eo cornuto insignitus diademate, barbâ admodum & nigrâ & profusâ, cum magno venit apparatu & comitatu, exceptit, exceptusque est.

Interea nos ex consilio cuiusdam Graci vestes nobis Aegyptias, Zonas ac capitis velaturas comparantes: Duce quodam Mutatio vestium ad
morem gentis,
Tongobardini mancipio, per urbem quod libuisset ferebamur: situm urbis moresque gentis explorantes ac nonnulla famâ clara loca invisentes.

CAPVT XIX.

CAYRVV describitur sive Memphis. in eâ ritus. Sathonica illusio atque prodigium unum.

MEMPHIS porrò, quam nostro aeo CAYRVV dicunt: amplissima ac regia Aegypti civitas, ab OGD00, qui & VO- Cayri Conditor,
HERREVS dictus est, condita, ambitus stadiorum centum & quinquaginta, opportuniore totius ejus ora loco, ubi Nilus in plures scinditur partes, ab unâ ingentes habens aggeres, & contra Nili crescentis impetû, & adversus hostes qui à terrâ irent, praesidium egregium. Ab alterâ parte effossus est lacus ingens ac profundus, qui superabundantia fluminis in eum delata, urbem efficit munitissimam. In hac ergò urbe, propter loci opportunitatem, posterî Reges relictis THEBIS, & regiam & adificia adificârunt amplissima. Spatiosissima est, & usque hodie, hac civitas. In eâ templa eorum (Muschkeas dicunt) ad Numerus templorum
in Cayro.
viginti quatuor millia esse, sed nescio utrum verè, asseruntur. Turribus celsis & munita & ornata: super quas Sacerdotes eorum die noctûque horis deputatis barbarum nescio quid, altâ, rudi ac fractâ voce resonant. In latere Muschkearum ac in Sacerdotum ritus in turribus,
biviis urbis hydria habentur praegrandes, in quas aqua ex Nilo ad bibendum vulgo advehitur. Plures sunt nihilominus Sar-
raceni,

Ritus in
Cayro pe-
tandorum
hominum.

Testamenta
Memphiti-
corum ci-
vium,

Populofitas
in Cayro.

Inibi Iu-
dæorum nu-
merus.

Ritus in
coquendo.

Plateæ.

Aedes ple-
bejæ.

Magnatum
domûs.

Urbis am-
plitudo.

Castrum
Soldani.

raceni, qui utres aquâ plenos per plateas undique circumfe-
runt: ac volentibus bibere, sine omni personarum discrimine,
in vasis argenteis sine morâ pocula ministrant. Id quod dixi
Elemosina cujusdam loco ducentes, ditiores vel adhuc incolu-
mes, vel morituri testamentis ordinant. Sed & singulis nocti-
bus faculas, lampadésve ardentes turribus appendi: turres ac
ruinas templorum instaurari: ter singulis diebus more suo
DEVM laudare: aquam, ut prefatus sum, in hydrias conve-
ctare: platearum solum bis per diem, propter astum pulve-
rémque surgentem conspergere: Omnia hac pietatis ac reli-
gionis sunt opera, à ditioribus instituta. Feruntque, id quod
mihi non absimile vero visum est, ultra octo millia hominum
esse, qui solâ aqua in vecturâ victum queritantes, quidam uno
vel duobus, plures verò quinque aut septem Camelis ad eam
rem utantur. Fama etiam est, sed an omninò vera, nescio, plu-
res ibi esse eorum qui tecto carentes proprio sub dio maneant &
pernoctent, quàm Venetiis Cives. Nam & Judeorum ibi non
contemnendus habitat numerus, qui quindecim millium esse
perhibetur.

Rara illic privatim habentur coquina: publicè enim vul-
gus & coquitur & epulatur. Ajunt decem millia in Cayro in-
veniri coquos, quorum pars magna culinas gestans capite, in-
ter eundem victualia coquit ac circumfert. Porro plateæ sunt
angusta admodum, ac desuper pleraq; ramis calamisque con-
tectæ. Domûs crudo laterè, & sole tantum cocto extruuntur,
intermixtis ob tenacitatem paleis. Plures ex solis cannis ac
arundinibus & exstructæ & connectæ nihil cum nostris habent
comparationis. Verùm & plures Magnatum domûs adeò poli-
ta & magnifica supersunt, ut nihil supra. Tanta prater ea am-
plitudinis est CAYRVS, ut vix novem decemve horis quis be-
nè ambulans eam circuire posset. In ejus parte editiori ca-
strum habet SOLDANVS, & amplitudine & munitione con-
spicuum, in quod per duodecim ferreas introitus est portas, cu-
stodiis ac bombardis omnes firmatas. In quo unum id dede-
cori

cori est, quod clavibus ligneis & clauderantur & aperiebantur. Claves.

Ceterum VRBS ipsa bifariam dividitur: Pars una CAYRVS, altera BABYLONIA dicitur: quam Babylonii ex Mesopotamiâ profecti, loco ab Egypti regibus impetrato condidisse dicuntur, ac in patria memoriam BABYLONEM vocasse, ubi Regum quondam erant sedes. Ad hanc olim urbem visendam multi ex diverso orbe viri clarissimi confluebant, ut & eam & sapientes ejus ac vates videre adfarique possent: prout D. Hieronymus in Bibliorum meminit prologo. Huc enim PYTHAGORAS, huc PLATO, huc denique APOLLO-
NIVS ille magnus post peragratum Orientem, appulit: ut GYMNOSOPHISTAS, & (qua in CAYRO in templo SOLIS creditur stetisse) famosissimam Solis mensam viderent in sabulo.

Verbis divi-
sio.

Strabo, lib.
17,

Vide de
Gymnoso-
phistis Au-
gustinum
de Civitate
DEI, lib. 15.

Muschkeæ
Saracenicæ,
in quâ Sa-
than illudit
hominibus.

Extra urbem in ripâ NILI Muschkeæ quædam nobis monstrata est, ubi tempore quo sacra peragunt, humati è sepulcris prodire dicuntur, ac donec suos, opinione sacros, ritus peragant: stabiles immobilésque consistere, ac demum disparere, quod qui ignoret in CAYRO, nemo ferè est. Hoc quid aliud, nisi illusionem diabolicam dixerimus, qui cacum illum ac rudem populum horrendâ DEI permissione miris fascinat modis, palpabilibus implexos erroribus & furoribus. Vidimus insuper ibi lacum quendam ingentem, Nilo contiguum, qui singulis annis fertur rubescere instar cruoris: quod fortè fit in memoriam plaga illius Egyptiæ, quâ aqua omnes in sanguinem versa memorentur, aquâ & cruore punito, aquâ cruoréque qui peccaverat, Rege. dictante Mos. Exod. cap. 7.

Lacus, in
sanguinem
singulis an-
nis se ver-
tens.

CAPVT XIX.

Tongobardini cum uxoribus suis deliciæ, ejusque magnificentia.

DI 1. Octobris, missô nuncio TONGOBARDINVS nos ad se vocabat, monstrandarum adium suarum penitiùs & maj-

Gynæceum
Tongobar-
dinici,

Tongobar-
dinus Epi-
curi de ge-
ge porcus.

majestatis. vix ingressi eramus ejus conclave quoddam, venit qui alloquium petebat quem, virum magnum & splendidum, ARMIRIO vocabant. A se igitur in amœnissimum hortum nos jubet (suspectus ne fieret ARMIRIO de conversatione cum Christianis) ubi donec recessisset ille, abscondebamur. Revocat nos horâ noctis alterâ: Gynæceum suum me, meisq; ac duobus Franciscanis, assumtis: intrat: confidet, uxoribus suis 35. circumfusus atque adblandientibus. jubet & nos sessum capere, Gynæceo, summis, imis, mediis, ornato & strato sericis tapetibus. Jam cum hâc jam illâ colludens disputare occipit: non esse in terris vitam aut gloriosorem aut beatiorē, istâ suâ. Silentibus Religiosis & ego silui. Ceterum Mulierum balsamo illitarum tanta erat fragrantia, tanta bellariorum potiusque exhibiti nobis præstantia ut nil in hoc genere supra. Promittit futurâ luce exhibitionem spectaculorum admirandorum, nunc abire indulget poscente id somno.

C A P V T X X.

HABITUS SOLDANI. Mamalucorum. Calyphæ. Campus spectaculis præparatus. tyronum admirandæ indûstriæ specimina. armorum Magister. funera. simulata ex Elephante pugna. præmia. Spectatorum periculum. Matherea villa. conductus interpres.

Mamaluci
Soldanici,

Habitus
SOLDANI,

Calipha Pa-
pa Sultani,

DI**E** Octobris secundâ, perreximus sole nondum exorto, propter tumultum populi, Duce quodam Mamaluco Tongobardini mancipio, in SOLDANI castrum. Ubi circiter sexaginta millia Mamalucorum, cum reverentiâ maximâque silentio astantes vidimus, omnes eodem colore scilicet albo, & eâdem vestium formâ opertos. Nec non & ipsum SOLDANVM in astivo quodam cancellato, cornuto insignitum diademate, veste candidissima ornatum, barbâ nigrâ copiosâ & proluxâ conspeximus. Sedebat non procul ab eo, loco de pressiore PAPA ejus, quem ipsi CALIPHA nominant, Sociennus & ipse fuscus atque

atque insignitus. Sub quo iterum demissus Orator Turcicus emissus, in cuius gratiam, ludi & stratagema, qua dicentur, ordinata erant. Porro sub Castro ipso prominebat campus quidam amplissimus planusque, ei rei antea praparatus: in cuius medio ab unâ parte congesti erant tres arenarii cumuli, quinquaginta ferè passuum spatio ab invicem discreti: in quorum singulo singula hasta, scopos gestantes ad sagittarum ictus excipiendos, erecta erant. Pariformiter erat & ex alterâ parte. itaque inter medium illorum tantum patebat spatium, quantum senis Equis pariter currentibus sufficiebat. In hanc itaque planitiem, magna pars tyronum, serico auroque refulgens, ac more suo leviter armata, Equisque Martius inuenta spectaculum hoc pacto exorsa est.

Oratori
Turcico in-
stantur
ludi.

Campus
praparatus
ludis.

Tyronum
habitus.

Primum quidem per dictorum cumulorum medium, Equis quantum currere poterant, concitatissimè effusis: jaculis primos duos scopos à dextris & sinistris scitè feriebant.

1.
Exercitia.

Post ad alios duos eodem delati impetu, eos itidem sagittis complebant.

Sicque tandem ad reliquos duos pari advolantes cursu, similiter eos, ut & priores artificiosè tangebant. Nec fuit inter hos, cuius sagitta à scopo suo aberrasset.

Quo facto, cum nullus ultra scopus superesset feriendus, arreptis qua tergo eorum habebant unusquisque lanceolis (quasi quid amplius restaret, non jam eminè sed cominè acturos se ostendentes) in partem quandam secedebant: quo adusque se omnis ille numerus Equitum, tali pacto exercuisset. Post quod, rursus omnes illi, ordine suo quo ceperant, non jam effusos ut prius, sed lento ac maturo gradu, per eandem viam, quasi victoria agentes triumphum, vexillis suis prae se erectis, ad locum unde exierant, subintrabant: unde se sine mora ad aliud tyrocinii genus apparantes, exhibant.

Scenæ Ty-
ronum.

Et nonnulli quidem, Equis interim jugiter & effusè currentibus, ad singulos scopos singulas quidem: binas nonnulli: aliqui etiam ternas in simul sagittas, ante & retrò dirigebant.

Alii

Admiranda
Tyronum
celeritas,

Alii in pleno cursu Equi, ter desilientes: itémque (equo à cursu suo non cessante) conscendentes, nihilominus omnes illos scopos sagittis tangebant, nec vel aliquatenus aberrabant.

2. *Alii sellis non sedentes, sed stantes, licet Equi volarent, singulos scopos feriebant.*

3. *Alii inter plenum & jugem Equorum cursum ter arcus remittentes, ter eos loco flagelli capiti circūducentes, ac rursus ter intendentes, aequè tamen ut & veteri singulos scopos jaculis verberabant.*

4. *Alii in jugi Equorum cursu, licet ad utramque partem desilissent, non tamen obmittebant, quin omnes scopos ut & reliqui singillatim percuterent.*

5. *Alii ter per equorum terga retrò desilientes, ac rursus, currente semper equo, insilientes, à sagittandi munere ad singulos scopos non cessabant.*

6. *Alii, sellis more solito colligatis sedentes, eas interim equo currente ter solvebant, ac post solutionem sagittantes, ter rursus eas dorso equi colligabant, térque jaculis scopos haud gravatim contingebant.*

7. *Alii in sellis more consueti insidentes, extra sellam retrò se concitè locabant, ac capite deorsum misso, rursus erecti, sellas insidebant, hocque ter factò, toties etiam scopos jaculis appetebant.*

8. *Alii in sellà justè sedentes, caput in Equi ponebant tergum, ac apprehensà Equi caudà, dentibus eam ingerebant, atque illico se erigentes, scopos nequaquam jaculis prateribant.*

9. *Alii post singulos jaçtūs sagittarum, ensē evaginatum circum caput minitabundi rotabant: quo mox vaginā recondito, nullum scopum à jaculis esse sinebant immunem.*

10. *Alii inter nudos & acutissimos enses à dextrâ ternos, levâ ternos, in tenuissimo amictu ita sedebant, ut enses illi (si quo minus immoderatè se movissent) corpora eorum crudeliter conficerent: tamen ante & retro, admirabili pernecitate & arte, ita se*

N.B.
Inter enses,

ita se vibrabant, ut præ se & post tergum (quasi discrimini obli-
liti) nulli scopo parcerent.

Inter hos talia agentes tyrones, unus solus repertus est, qui 11.
super duos perniciosissimâ velocitate Equos currentes, solutis sta- Soluti pedes
super 2.
equos cur-
rentes.
ret pedibus, ac ternas uno impetu, ante & retrò simul funde-
ret sagittas.

Iterum erat alius, qui itidem solus ex omnibus Equo non sel- 12.
lato nec frenato sedens: ad singulos scopos se in pedes erigens
stabat, percussûque scopo dextrâ laevâque iterum sedebat: donec
ad secundos & tertios scopos veniens, iterum se in pedes erige-
ret, ac sagittandi munus egregiè & mirè expleret.

Item & alius insuper repertus est, qui solus ex reliquis, equo 13.
in sellato & nudo sedens, ubi ad scopos venisset, intergo equi su-
pinus jacens, utrumque pedem in sublime porrigebat, sicq; con-
sistè erectus sagittandi officium impigrè complebat.

Postremò: Scopis illis jam sagittis undique confertis: Tyro- Magister
Tyronum,
num illorum Magister, Vir grandævus ac incanus, arreptis sco-
pis, manu eos in medium elevans projecit: quos Tyrones illi tum
sagittis tum etiam lanceolis configentes, ac quasi capita caso-
rum hostium præ se ferentes, hinc atque illinc mixtim trium-
phabundi ducerebant. Ex his autem Tyronibus tres (dum Funera è
ludo.
incautius tentando D E V M agerent) gravissimè deciderunt:
quorum unus vitam pariter cum sanguine fundens, ne funere
suo reliquos confunderet, continuò inde ablatu & humatus est.
Ceteri duo exanimis, raptim è medio (ne spectaculum turba-
rent) amoti sunt. Ceterum Equites illi cum jam ludo finem fa-
cere vellent: omnes in simul correptis lanceolis, Equisque in fu-
gam concitatis, scopos qui residui locis suis supererant, lanceolis Scoporum
demolitio.
transfigunt, sicq; eos in altum levatos præferebant: quasi tro-
phaa ex hoste agerent. Et opera precium erat videre tyrones
illos, corpore proceros, vestitu armisque decoros, gestu ipso ad-
mirabiles, ea in rapido equorum cursu agere: qua etiam in
terrâ stantibus & factu difficilima, & visu stupenda, denique
& enarratu incredibilia penè viderentur.

Simulatus
Elephas,

Tali confecto spectaculo: in medium productus simulatus est ELEPHAS: turrim desuper habens ligneam, ex qua qui intus milites erant bombardis multos edebant sonitus, ignitaq; fulminabant jacula, donec tyronibus illis (qui & ipsi equis in parte dimissis peditum more se armarent) conjungerentur. Porro in parte campi illius erecta erat arx quaedam sive turris lignea, militibus intus, vexillis verò desoris stipata pulcherrimis, quam tyrones cum his, qui Elephantem portabantur, occupare annixi, cum id sapè frustra tentassent, terga vertere compulsi sunt. Hi verò qui in arce erant, cum erupissent, grandi adversarium agebant spatio, ac deinde ex victoribus victi fuga petebant presidium.

Pugna Lu-
dicra,

Quod ubi sapius actitatum esset, & ab arce longius processissent, tandem victi, & ad unum omnes capti sunt. Hi enim qui ex Elephantem pugnabant, occupatis his & illis vehemriori conflictu, bestia desiliunt, arcemque milite vacuam capiunt, ubi levi suorum presidio imposito tyronibus juncti, adversarios undique conclusos ceperunt. Tum verò ex arce in circumstans vulgus jacula, picem ignemque flammantia jactari cepta: nemo usquam fuit securus, praecipue tamen nos, quibus Saraceni pro scutis utebantur, ejusmodi jaculis licet non periculosè, formidulosè tamen patuimus. Quo peracto, Tyrones illi arcus remissos versus SOLDANVM ferentes, ad terram tercum reverentiâ humili se inclinârunt, ac demùm ad Equos suos (qui in parte, quasi & ipsi SOLDANVM reveriti, quietè stabant) regressi, eos conscenderunt. Sicque toto illo exacto spectaculo à SOLDANO & collaudati & remunerati egregiè, in locum, unde armati prodierant, sunt reversi. Unoquoque igitur in sua recedente, nos quoque abire volentes, ab eo qui porta Castri praerat comprahensi: nisi Mamalucus ductor noster intercessisset, graviter multati pecuniâ fuissetus. Liberi itaque inde dimissi, cum labore per tumultum vulgi, ad hospitium tandem regressi, id quod vidimus singuli, conferentes, chartis

Catastro-
phe specta-
culi,

Praemia Ty-
ronum.
Umbella
quædâ sunt
haec cruen-
torum Lu-
dorum Ro-
man, de qui-
bus vide sa-
gacissimi

charis mandavimus, plura tamen vel incuriâ vel oblivione scribere obmittentes.

LIT. 1. 1. 23.
turnal. ferm.
lib. 2. cap.

Die 3. conductis mulis & duobus (in tutelam nostri) Mamelucis, perreximus MATHEREAM, villulam, uno ferè ab CAYRO milliari sitam, NILO non multùm semotam: ubi quondam erat hortus balsamo nobilis, cujus hodie ne reliquias quidem videre est. Balsamo deficiente & fons conterminus exaruit, qui quondam irrigatum balsami lignum uberrimè fructificasse nobis dictus est. Ad Solis occasum CAYRUM redimus.

Matheria.
ubi quondam
hortus balsami.

Die 4. accingentes nos ad montis SINAI peregrinationem conduximus Gracum quemdam Interpretem, Italica atque Saracenica lingua benè doctum. Qui acceptis à nobis sedecim Seraphis seu nummis aureis, res itineri necessarias ordinavit, Camelos conduxit, nosque ne in morâ simus, praesto esse admonuit: cujus parentes jussu, illicò nostras complicamus sarcinolas.

Interpres
conductus.

CAPVT XXI.

Discessus ex Cayro cum contumeliâ. Alcanica. Carabenz. in hoc itinere excubiaz. fures. Arabia desertum. pluvia in Ægypto. artificiosa à maris rubri sinu ad Nilum fossa. fons falsus Moysis. Sinus maris rubri, transitu Israëlitis nobilis. puniti ibi Pharaonis vestigia. Saraceni cadaverovori. fontes in Elim. Suffocati ibi æstu homines.

DI 5. Octobris, manè Camelos oneramus sportis aquo ex utrâque animalis parte libramine, nobis supersedentibus. Ita profecti CAYRO comitibus duobus Franciscanis, de quibus supra, à pueris Saracenorum jactûs luti, testarum, pulveris atque fructuum putridorum patienter excipientes, non satis faustè mittebamur. Porro insueta nobis & pradura Camelorum Equitatura graviter nos concussos, advexit tandem ALCANICAM, ubi in domum Gracorum Monachorum (qui

Petulantis
puerorum
in Cayro.

exinde victualia ad monasterium montis Sinai & congerunt & transmittunt) recepti repausavimus.

Arabs rabula.

Alcanica.

Die 6. postquam nos illic esse ARABS quidam persensisset, magno suorum stipatus numero ad nos veniens, multum nobis molestus erat, quem nos, quia aliter non potuimus, prolati aliquot argenteis, a nobis excusimus. Est autem ALCANICA Opidum & amplum & populosum admodum, sed, ut reliqua Egypti, immunitum. Distat duobus nostris à Cayro miliaribus, Nilo, & arenoso deserto, contiguum.

Carabena quid.

Die 7. Camelis rursus impositi ex Alcanicâ recessimus, ac vix unum miliare progressi ad Comitivam turbam (quam Carabenam nominant) pervenimus: Expectabant enim & ipsi tanti itineris numerosam societatem, propter latrocinantes in regione illâ undique Arabes. Illic ergo Camelis exoneratis, sportulas, quibus sellarum vice utebamur, in orbem ad instar cujusdam tentorii, vel potius valli dispositis, ipsi cum rebus nostris in medio consedimus, interdum nec comedere nec bibere audentes. Nocte vero, ubi Saraceni comites nostri obdormissent, tunc demum corpora cibo curavimus, atque deinde quasi in obsidione aliqua positi vicissim & dormivimus & excubias egimus: stridore simul ac tetra Camelorum putore haud parum gravati. Nocte illâ in extremis Carabena seu Comitatus clamorem ingentem audivimus: venerant enim clanculum quidam Arabes furto insistentes, qui dum animadversi essent, ac clamore exterriti, sublati nonnullis tapetibus, lanceâ & sacco panis: impune evaserunt.

Excubias.

Fures.

Desertum Arabiæ.
Exod. 15. & seqq.

Die 8. Desertum Arabia (per quod Filii Israël relictâ Egypto ad terram promissionis iverunt) intrantes, multisque aliis sociati comitibus magnum fecimus numerum, exercitui grandi, camelis atque hominibus aliquot millibus, parem.

Die 9. itidem per desertum arenosum atque horridum pergentes, nihil omnino viride, non spinas, non vepres, non arbuta vel minuta vidimus, donec circa vespertinum in locum quendam humiliorem venissemus. Ibi M VCRELI nostri (id est,

est, Mulorum Camelorumve ductores) arbusta quadam rara admodum, manu euellentes, Camelis in cibum dabant. Eodem vespere pluebat jugiter, quod in Aegypto numquam fieri mulsi veterum tradiderunt.

Pluvia in Aegypto, contraria alleverationi Platonis.

Die 10. venimus ad sinum maris rubri, ubi fossa quadam erat, sumtuoso opere à sinu illo ad Nilum usque duci cepta, ut eâ navigatione Oriens conjunctus Occidenti facilius haberet commercium. Hanc primùm à NECHAO Aegypti Rege agi ceptam DARIUS Persarum Rex perficere aggressus imperfectam reliquit, admonitus à sapientibus, si locus interjacens efoderetur, fore ut Aegyptus omnis (cum mari rubro esset depressior) ab aquis mergeretur. Haud procul inde fons quidam erat, Moysis, ut fertur, opus: ob salsedinem quidem suam hominibus impotabilis, non sic verò jumentis. Hic ergò, quia Cameli toto fere triduo nihil biberant, fixis tentoriis ad usque noctis medium remansimus. Hic est sinus ille omni seculo memorandus, quem Filii Israël Duce MOYSE siccis transiére vestigiis. Hic PHARAO cum omni suo equitatu, populo & curribus velut plumbum in aquis vehementibus submersus est. Videntur usque hodie in littore, curruum, equitumque vestigia, & quantumvis turbentur ab aliquo, brevi iterum spacio apparent. Orosio etiam lib. 1. teste, qui inquit: Extant & nunc certissima horum monumenta gestorum: Nam tractus curruum rotarumque orbita non solum in littore, sed etiam in profundo quousque visus adimitur, pervidentur: & si fortè ad tempus vel casu vel curiositate turbantur, continuo divinitus in pristinam formam ventis fluctibusq; vertuntur.

Imperfecta fossa Darii.

Salsus fons Moysis.

Sinus salvati Israël & peremti Pharaonis. Monuimenta gestorum & divinæ ultionis.

Eodem die Camelus unus circa nos emoritur, accurrunt Saraceni famelici illicò, ac——

Saraceni vorant cadavera,

Tergora deripiunt costis & viscera nudant,
Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt,
Littore athena locant alii, flammisque ministrant:
Tum victu revocant vires

fusque per sabulum implentur carnibus illis, addito salso fontis

Fures.

dicti liquore. Interim nos duas gallinas ab Arabe quodam emptas, congesto ex Camelorum fimo igniculo, coximus ut potuimus & absumpsimus. Nocte insequentis clamor subitus contra Arabes furto deditos exortus, non parùm nos perculit: sed illi, dum nostri tumultuantur, ablato quod quibant, aufugerunt.

Falcones.

Die 11. sinum illum maris gyrantes, ac ponè littus pergentes obviam habuimus Carabenam quandam cum multis falconibus ex ALTHOR venientem. Ibi ex quodam eminentiori loco prospicientes, nec principium nec finem Carabena nostra comprehendere potuimus, tantus erat Camelorum, Mulorum atque hominum numerus. Vespere ejus diei vénimus in

ELIM.

ELIM, ubi, prout habetur Exod. 15. erant ôlim 12. fontes aquarum & septuaginta palma. Et hodiè quidem fontes adhuc supersunt, palma verò nulla, sed tamen arbuscula quaedam rara & humilia. Hic Filii Jsraël castrametantes ex palmis cibum, ex fontibus verò poculum habuere. Circa hos fontes (ut relatum nobis est) antea octo mense Julio, quindecim homines siti & aestu suffocati perierunt. Haud procul inde cum tentoria fixissemus, Camelus iterum unus circum nos mortuus gaudium & epulationes Saracenis, luctum Domino suo, fecit. Vidimus ibi multa Camelorum sparsa hinc inde cadauera, quaedam jam carne consumpta, carnosae reliqua.

Peremti 15.
homines
aestu.

CAPVT XXI.

Gundele ferventis aquæ fons. mari rubro quæsitæ coraliæ, æquor istud cur rubrum dicatur. arbores spiniferæ. geminum ab exactoribus Arabibus rei pecuniariæ dispendium. cum Mucretis litigium.

DI 12. conscendimus montana mari rubro imminetia: ibi Aqua, quam ex Alchanicâ hætenus portantes utcumque soliti bibere fuimus, tota consumpta est. Proinde coacti sumus aquam ibi repertam manibus in vasa haurire & portare.

Era

Erat verò non solum turbida, sed & salsa & subamara. Sub ejusdem loci conspectu monstratus est nobis fons, GVNDBLE dictus: qui jugiter aqua bullit ferventi. Eodem tempore unus Franciscanorum, quia minus juste sportulâ sedens, ac se hinc inde inconsideratè movens, videbatur gravare Camelum, à Mucrelo in faciem sauciatus graviter est.

Gundele fons.

Franciscanus docetur Camelizare.

Die 13. inter altissimos candidosque montes iter agentes, vespere rursum ad mare rubrum venimus, ubi quia adeò angustum iter erat, ut in mari equitare cogeremur, Camelis aliquantisper desilientes, conchilia mira dispositionis lapillosque & corallium album collegimus.

Album corallium.

Porrò quòd istud mare rubrum dicitur, non est ideò, quòd in se rubrum sit, sed ut Strabo asserit, lib. 16. rubrum dicitur, vel à colore per reflexionem expresso. vel à Sole cum supra verticem est. vel à montibus ex adustione rubentibus. vel quia rubens sit fundi arena, quâ leviter commota similis generatur in fluctibus color. vel à fonte quodam, qui aquam rubicundam ac minio plenam in illud mare emittit. vel à ligno quodam rubeo ad instar presilii, quod in insulis hujus maris crescit. vel tandem, quia fuit figura sanguinis CHRISTI in cruce effusi, atque Baptismi ex CHRISTI sanguine efficaciam habentis. Hoc insuper mare ERYTHRAEVM à plerisque dicitur, ab ERYTHRA Rege quodam, cujus sepulcrum, ejus gentis literis insignitum, in insula quâdam ejus pelagi monstratur. Nocte insequenti à Carabenâ sumus digressi. Et illi quidem secus mare versus ALTHOR pergebant, nos verò ad levam retorquentes intra montana conscendimus. Eodem tempore Camelus Mucreli nostri emoritur. Ille cum suis cadaver expoliat, carnem in cibum sumit, cutim verò paleis & stramine oppletam ad suos usus reservat.

Mare Erythraeum, rubrum cur dictum.

Mare rubrum & Erythraeum.

Die 14. inter altissimos & totos rubicundo fulgentes splendore montes, cum aliquandiu proficisceremur, aqua laboravimus penuriâ. Cibus noster erat panis bis coctus, caseus, & interdum lingua boum salita & siccata. Ibi ergò Arabs quidam ex hiis

Arabs allatum aquam
precio conductus.

ex hiis qui nobiscum erant, pacto nobiscum precio, circa unum miliare à nobis digressus, aquam utre attulit: qua licet rubeis plena erat vermiculis, per panniculos tamen colata in tali necessitate grata nobis erat. Porro Arabs ille, precium suum nummum scilicet argenteum, quem Maydinum dicunt, uxoris suae auri perforata sine morâ appendit: quae cum saltu & clamore quodam mirabili tripudians ad nos venit, tactoque genu ejus qui nummum porrexerat, manum osculata est. Vidimus in illis locis multas arbores, ferentes spinas oblongas & praecutatas, de quarum genere coronam DOMINI IESU fuisse tradunt. Florebant autem eo arbores tempore nosq, mirifico odore non parùm illa recreabant, spinas nobiscum multas auferentes. Vespere ejus diei venimus in angustias quasdam montium, ibiq, propter latrocinantium Arabum insidias absconditi pernoctavimus, Jbi Mucrili nostri locorum benè gnari cum Camelis adaequatum pergentes, vix tandem horâ noctis tertiâ ad nos sunt reversi.

Arbores.
spiniferæ.

Abinde & corona Godfridi Biloni.
Peucerus, lib. 4. Chron. pag 380

Canicula
fœtu soluta
angitur
de comitibus.

Die 15, intravimus quadam horrenda montium precipitia. Currebat tum nobiscum Arabis cujusdam gravida canicula, quæ illic infausto soluta partu, dum nos abire cerneret, solâq, ibi cum fœtu remanere horreret: diu multumq, quasi deliberabunda, sublato miserabili ululatu, maluit nos insequendo se ipsam salvare, quàm illic remanendo se & subolem periclitari. Eodem die circa ferè meridiem, ad hortum quendam palmiferum venientes, ab indigenis rusticè admodum ne dicam bestialiter excipimur. Christianos enim nos agnoscentes undique è cavernis pradandi studio profiliunt, clamorem tollunt: ac lanceas nobis arcûsq, lethiferos intentantes, ad terram Camelis dejiciunt, rursus alii dejectos erigunt, ac ab aliorum vi injuriâq, tutantur. Interpres noster nescio quid agens, tandem peragit. Nos tamen nihilominus ad terram cum Camelis quinquies dejecti, ac parte victualium, quæ non satis erat occultata, mulctati, post multos clamores & molestias fatigationes, datis pro singulis capitibus argenteis octo, vix tandem dimissi

Discrimen
ab Arabibus.

missi abscessimus. Porro hortus ille inter angustas montium fauces situs, ad unum ferè protenditur miliare, ubi nec ad dextram nec ad laevam declinare est, sed inter arctas quasdam macerias cum fastidio eundum.

Ex quo horto cum nos explicuissemus: in alios rursus impigimus Arabes, qui quoniam se Custodes & Guardianos monasterii S. Catharina dicerent, vimq; nisi sponte pareamus illaturi videbantur: decem Maydinis à nobis acceptis missos nos tandem fecerunt. (25. Maydini faciunt ducatum.)

Aliud discrimen,

Die 16. cum ferè nocte mediâ iter acturi surrexissemus: Mucrèli etiam nostri in nos insurgunt: duos plus aquo seraphos sive aureos expositulantes: nobis contradicentibus aliquandiuque disceptantibus Camelis pra se actis abeunt: nos cum suppellectili nostrâ in vastâ illâ ac horrendâ solitudine montium solos relinquunt. Quo malo perpensculato, ut reconciliet mitimus insequentem interpretem: qui eos vix demùm prece pretioque reducit.

Litigiam cum Mucrèlis.

CAPVT XXIII.

Monasterium Catharinianum. In hoc prædones Arabes. Mons Horeb adscenditur difficilimè. Montis gradûs. aliud discrimen ab Arabibus. Montis sacella. Saracenorum de Muskeâ suâ ponè, spurca superstitione.

DI E 17. *venimus tandem cum Solis exortu ad sacram Catharina adem: in quam cum rebus nostris intromissi literas, quas ex CAYRO à Patriarchâ Græcorum attuleramus, ejus loci Primati reddidimus. Atque ita assignatâ nobis Camerâ parumper refecti, cum quiescere vellemus, ab Arabum turbâ circumdati, extra omnem fuimus quietem. Ipsi enim Cameram nostram irrumpentes res nostras quasi proprias occupabant, ac bestiale nescio quid stridentes, tulus (quod apud eos pecuniam sonat) ingeminabant. Quibus cum canina illa ora manûsque feræ argento obstruxissemus, oclusis foribus*

Prædones Arabes,

H

bis

Scandunt
ad montem
Horeb.

Gradus mō-
tis Horeb.

Fons mon-
tis in me-
dio.

Discrimen
ab ipsis cu-
stodibus.

Sacellum
Helix.

bus corpora optata deditur quieti. Rursus horâ noctis ejus secundâ conscendimus montem HOREB. Comites nobis erant duo Graci Monachi, quos Calogeros vocant, actres Arabes, incolae monasterii Cathariniani: quos nobis vice sui dederat Ductores interpretes noster, homo pinguedine gravis, nec ad tantam celsitudinem conscendere idoneus. Itaque per precipitia montis serviente nobis Lunâ adscendentes, victualia nobiscum & necessaria alia portavimus: sæpius repausantes, sæpius auram propter spirituum lassitudinem interclusam captantes, ac nos invicem cohortantes atque animantes. Est siquidem ejus montis adscensus tum præruptus, tum sublimis, & ut Monachi, nostri Ductores asserebant, habet septem ferè graduum millia lapide quadros strata, exceptâ majori parte quæ naturali adscenditur situ. In hujus montis medium cum venissemus, offendimus sacellum Mariæ titulo sacrum, inibi fontem vivum & salubrem & oppidò peregrinis necessarium. Circa sacellum illud, tres isti Arabes, quos ductores & protectores accepimus, nec nos ultra ascendere, nec regredi strictis sinebant gladiis, donec eos pecunia promissione lenitos, in nostram tandem fleximus sententiam.

Inde ad HELIAB venimus sacellum, ubi mansisse eum tradunt quando fugeret à facie Jezebel, 3. Reg. 19. Post multos tandem sudores in cacumen montis HOREB evadimus, ubi cernui in terram procumbentes gratias benignissimo DEO egimus, qui nos sospites ac votorum compotes hucusque perduxisset.

De hinc in Ecclesiam sancti Salvatoris, eo loco exstructam intramus, ubi Moyses quondam loquutus cum JEHOVA tabulas accepisse Legis fertur, Exod. 34. Templo isti contiguum est saxum, ejus montis eminentissimum, passus in circuitu habens viginti, ex quo loco DOMINUM cum Moyse tradunt loquutum, qui tunc totus fumabat, eratque terribilis, nube, fulgure ac tonitru crebrescentibus. Et sanè usque hodiè mons ille aliique coherentes adeò candenti resplendent fulgore,

ut con-

ut conflato similes videantur cupro. Abhinc quindecim ferè passibus est Muschkéa Saracenorum supra illum erecta locum, ubi Moyses perhibetur, antequam legem acciperet, 40. diebus totidémque noctibus jejunasse divinâ virtute. Exod. 24. Hâc speluncâ prophani Saraceni utuntur ad generandos, ut ipsi putant, Prophetas: Proles enim inibi concepta, sancta & spiritu plena prophetico aestimatur. Ceterum in Ecclesiâ sancti Salvatoris nudâ recumbentes humo, frigore nocturno satis quassati, nihil ferè dormivimus. Accedebat huic malo clamor molestus trium nostrorum Arabum, qui in Muschkéa suâ totam ferè noctem sua vacantes devotioni, de industriâ nos inquietârunt.

Muschkéa
Saracenorū
in monte
Horeb,

Spurca su-
perstitio Sa-
racenica,

CAPVT XXIV.

Montem Sinai majori difficultate adscendunt. in apice circumjacentia latè lustrant. Monasterium 40. fs. Petra Moyfis. locus absorptorum Dathan & Abyron. Aqua maledictionis.

DIE 18. cum Solis exortu de monte Horeb descendimus versùs Occidentem, viâ precipiti & valde periculosâ, venimusque tandem in vallem quamdam inter HOREB & SINAI montes, mediam, in quâ monasterium erat ad 40. sanctos nuncupatum: ubi paullum refecti impedimenta nostra illic sub cujusdam Monachi fide dimisimus. Post hac cum montem SINAI scandere cepissemus, nostri iterum egregii Ductores argentum postulant, idque vi ac minis extorquent. Nos quoniam tunc extra nummos fuimus, & nihilominus propositum iter perficere summopere cuperemus, unum eis seraphum, prout postulabant, pollicebamur.

Vallis inter
Horeb & Si-
nai montes.

Ductores
Arabes de-
nuò mul-
tant,

Addimus in pignus majoris fidei comitem unum ex monasterio Cathariniano Monachum, quem illi, si pactum non servaretur, interfecturos se jurabant altissimè. Eâ conditione & illi & nos magis exhilarati iter ceptum arripimus, labo-

re & periculo multo majore quàm in monte Horeb: Etenim Phæbus tum medium cæli conscenderat orbem, & montium juga circumjacentia frigidiorē nobis auram penitus auferebant, sed nec panem neque aquam nobiscum tuleramus, tantæ erat omnium nostrum oblivio, adhibentium perfidis nostris ductoribus fidem, qui nos aquam in monte affatim reperturos subdolè mentiebantur.

Difficultas
adscensus
montis SINAÏ.

Erat verò adscensus lubricus & admodum præruptus: ita ut plarumque manibus pedibusque reptare oporteret: cujus reptationis labor haud facile dixerim quàm gravis quàmque periculosus erat, ac indigens robusto genu. Quippe quia degravante viatore temerè jacentes lapides concedebant, & in adscensu raptissimo (nisi fortiter fixissemus pedem) dimoto uno lapide tota congeries devolvebatur, ac in nos ruebat. Adde etiam quòd dum in plano labebamur, ladebant scabritie suâ & manus nostra crebro ejusmodi casu & contactu oppidò sauciabantur. Sed ubi paullum in altum emerissemus, aura frigidula ac caprearum per juga rupium discurrentium conspectu, aliquantisper sumus refocilati. Inde rursum resumptis viribus ac pauxillo saccari refecti, labori nos iterum accinximus, atque ita cum anhelò, stridenti ac penè intercluso spiritu partim scandentes, partim verò reptantes non parum afflictabamur.

Montis plurimi vertices,

Accedebat ad id quòd montem ipsum & Monachi & Arabes (labore fatigati) agrè dignoscere poterant: & plures erant montium altissimi vertices, qui nos similitudine mutuâ diu ludificabant. Stabant tamen hinc inde cumulatim congesti à peregrinis lapides iter desiderantibus indicantes: quo est factum, ut ductores nostri tandem apicem SINAÏ dignoscentes præcurrerent, latique nobis acclamarent: quorum ducti clamore alacri, recepto spiritu ocius eos insequemur. Tunc demum verò adscensus omnium difficilissimus fuit, ita ut omnis antè actus labor præ isto videretur jocus. Nec diffisi tamen idèò, sed DEI implorato auxilio, toto allaboravimus
conami-

conamine. Per invias itaque crepidines, per scopulos acutissimos per pendulas petras, per clivos saltusq; horribiles tendentes, nunc baculis, nunc zonis, nunc manibus nos vicissim erigentes, attrahentes, promoventes: DEI tandem Optimi Maximi juvamine, omnes in summi montis apicem evasimus. Porro Arabes nostri, quos nec devotio juvabat, nec animus attrahebat, adscensum illum diffisi, sub rupe illâ nos expectantes manserunt, mirati fervorem, conatum nostrumque robur. At verò caput illud montis SINAI vix 30. patet passibus in circuitu. Hic regionum circumquaque cuncta vastissimo prospectu lustrantes, pensitavimus quantum iter terrâ marique emensi essemus, quantumque rursum superesset, qui casus, quæ pericula, quæ sortis varietates nobis evenire poterant. Inter hac ergo positi, spe atque metu vicissim tangebamur, dulcisq; patria amore ardentes vix effari potest quantum adsciebamur.

Apex Sinai.

Porro quoniam mons SINAI omnibus aliis montibus celsitudine longissimè superest, vastissimum undique prospectum habet, ad eò, ut licet mare rubrum trium ferè dierum itinere abinde distet: videbatur tamen nobis ita esse propè, ut jactu unius bombardæ contingi posset. Inde etiam plures ejusdem maris desertas insulas vidimus: Porro ultra illum maris sinum oculis se nostris offerebat Thebaidos desertum & montana, ubi Paulum, Antonium, Macarium Eremitas, degisse fertur. Ibi etiam videbatur nominatissimus ille portus maris rubri ALTHOR nuncupatus: ad quem omnes naves speciebus referta aromaticis ex INDIA applicant, atque exinde Camelis per desertum in Alexandriam delata, tandem terrâ mariq; in totum penè dividuntur orbem.

Mare rubrum.

Thebaidos desertum.

Althor portus maris rubri.

Ceterum quoniam & siti & ductorum importunitate longius illic demorari non dabatur, DEO altissimo gratias agentes, inde descendimus, brevique (quoniam casus adscensus est facilior) tum cadentes tum peditantes ad medium venimus montis, ubi fonte quodam licet modico, vivido tamen &

Fons in montis medio.

salubri reperto, aqua eò indulgissimus amplius, quò diutius aestu sitique fueramus adflitti.

Monasteriū
40. sancto-
rum unde
dictum.

Sicque resumptis utcumque viribus, ad monasteriolum tandem 40. sanctorum regressi, pauculo vino, pane ac caseo refecti sumus. Quod olim monasterium Monachis abundabat: sed tempore quodam paganis exteris irruentibus ad unum omnes cæsi (quadraginta autem tunc erant) nomen inde mansit loco. Nunc autem penè est desolatum, nisi quòd duo semper illic ex Monachis Catharinianis transmissi, more Græco sacra celebrant.

Hortus vi-
cinus cœno-
bio.

Huic monasteriolo coharet hortus peramænus, olivis, ficibus, malogranatis, amygdalis ac præstantissimis aliis refertus arboribus. Ex hoc digressi loco, gyrantes montem Horeb, venimus ad petram quandam in radice Horeb jacentem, quam, ut habetur Numer. 20. Moyses bis virgâ percussit, atque inde tantam aqua copiam eduxit, ut & homines satiarentur & jumenta.

Petra Moy-
sis.

Stigmata
petræ.

Et licet MOYSES bis tantum, silecem percussisse legatur: videntur tamen juxta numerum tribuum Filiorum Israël fixura & stigmata 12. Quod miraculum eò majoris fuit stuporis, quò à reliquo monte omninò seclusum saxum illud videtur, & cum sit ferè quadratum, unâ tamen solâ & eâ peracutâ parte, terra coharet, atque ita nihil penè humoris ex terrâ contrahens, liquidius illud fuisse DEI opus arguitur, & in hanc usque diem ex stigmate uno aliquantus videntibus nobis & lambentibus desudat humor.

Petræ hu-
mor.

Locus ab-
sorptorum
Dathan &
Abyron.
Fons aque
maledictio-
nis.

Haud procul inde locus est, ubi, ut habetur Num. 16. Terra aperiens os suum, DATHAN & ABYRON, cum omnibus complicitibus & supellectili suâ operuit.

*Ab hinc non longè fons est, de quo Moyses dedit populo bibere aquas maledictionis, unde & multi eorum qui biberunt mortui atque ibidem sepulti sunt, post conflati vituli adorationem. In vicino est sepultura fratrum Græcorum, quo-
rum*

rum ibidem circiter novem millia annalibus inscripta, requiescunt.

Cœmitem-
tion.

Monte itaque sancto HOREB in parte circuito, tandem cum Solis occubitu monasterium Catharinianum subintramus. Et licet tam lassitudine quàm fame attriti eramus, major tamen erat ipsa lassitudo, qua ita adflitos nos reddiderat, ut eo & postero die vix pedibus probè consistere valeremus: plus itaque somno & quieti quàm cibo vel potui indulsimus.

Reditus la-
forum ad monas-
terium.

CAPVT XXV.

Catharinæ templum & tumba. ad hanc Græcorum superstitiosi ritûs. Cœnobii conditor. Arabum in hoc injuriæ. inibi Fratrum vita.

DI 19. *Templum ingredimur Monasterii Cathariniani, quod egregium quid quondam erat. Nunc intus columnas habet quibus fulcitur duodecim, superiùs arcuatas: super arcûs autem multas multorum sacras opinione reliquias reconditas asserunt, quorum festiuitates per duodecim menses à Græcis celebrantur. In hoc itaque templo Monachorum interfui-
mus sacris, quibus peractis, omnes ad tumbam acceperunt Catharina, Gracam more suo modulantes synaxim, uno semper ex libro pracinente, ceteris verò per omnia commodulantibus. Post quæ singuli cum singulis cereis, atrâ tristisque veste cucullati, thuris adolentes incensum Virginis aperiunt arculam, ac corpore salutato, deosculato, recedunt severi fratres. Permis-
erunt & nobis istas contrectare reliquias, insuper donantes nos pauxillo bombicis, qua quietè degunt hæ exuvia.*

Templum
Catharina-
num,

Superstitio-
si Monacho-
rû ad tum-
bam ritûs,

Ceterum monasterium illud à D. IUSTINIANO Imperatore primitus exstructum, & ad radices montis Horeb in convalle situm, muro circumdatum est altissimo: intus exiguas & viles habens structuras, quod hodiè prophani Saraceni pro suo voto regunt, diripiunt, pessundant. Audiuimus à Monacho quodam

Conditor
monasterii.

Saracenorû
in hoc inju-
riæ.

quodam canicie venerabili, singulis diebus quinquaginta, non minus, Arabes eò adventare, victumque sibi vel exposulare vel extorquere: Fratribus nil libertatis relinquere: Muschkeam unam monasterio habere, ubi noctu plerumque congregati, clamoribus suis Monachis somnum eripiunt: uno hoc verò abstinere, quod Fratrum Ecclesiam non intrant: cetera pro libitu agere, ipsos esse loci dominos, ipsos custodes, ipsos & vastatores.

Fratrum
Regula,

At verò Monachi illi omnes Graci, sub regulâ, ut ajunt, S. Basilii viventes, pauperrimi sunt, plurimum jejunant, carnibus nunquam vescuntur, atro ac neglecto habitu utuntur, macie extenuati supremâ: Romano haud subditi Pontifici: sui juris suorum rituum.

C A P V T X X V I.

Discessus ex Monasterio Catharinæ. Lustratæ antiquitates nonnullæ. Triplex ab Arabibus discrimen. De horum vita & moribus paucula. Camelus quid animalis. genera horum duo.

VISIS itaque rebus & locis qua vel in monasterio vel circa erant, res nostras furtim & rapidè complicamus easq; noctis in silentio ex monasterio efferimus: dimissòque ad earum curam interprete & Camelario nostris, ipsi ad hortum monasterio contiguum properamus, pertransimus, erat enim tunc Luna pernox. Ibi sepulturam trium millium, ad preceptum Moysis post adorationem vituli, per filios Levi interfectorum. Vitulum lapideum, in memoriam aurei combusti ibi erectum, Fossam in quâ idolatricum signum cõflavère Israëlita: Aquam in super contiguam, quò Moyses cineres comminutùmque vitulum dispersit: atque Saxum rotundum, ad quod Legis tabulas confregisse fertur idem, vidimus. His aliisque conspectis, ad Camelos jam oneratos præviòsque redivimus. Ibi Arabs quidam uni ex

Sepultura
3000. Idola-
trarum.
Exod. 32. &
seq.
Vitulus la-
pideus.
Fossa con-
flagrati vi-
tuli.
Aqua.
Saxum.

uni ex sociis nostris vestem furto detraxit, quam tamen ad preces Camelarii nostri (acceptis nihilominus ab eo, cuius vestis erat, sex nummis argenteis) tandem restituit. Nosque reliquos Arabes argentocompescere operapretium erat, Convenerant quippe quidam eorum ad valedicendum nobis, quasi ad cadauera vultures. Quo peracto cum gratiarum actione inde discessimus, singuli singulis insidentes Camelis viâ asperiore sed compendiosiori quàm quâ ferebamur prius.

Discrimen
ab Arabibus
prædoni-
bus,

Die 20. cum Sole surgentes ceptum iter continuavimus, ac hortum illum palmiferum, cuius supra memini, brevi intrantes, ab Arabibus eâdem, quâ prius, feritate excipimur. Quos, cum argento vicissemus, accurrunt alii duo par nobis eripientes gallinarum, concitòque cursu montem petentes: Interpreter noster & Camelarius eos insequuti, evadere de industria permiscere: ita nusquam erga nos erat tuta fides. Tum verò ad extremam redacti miseriam nihil præter panem, & cum saxo duriores, habuimus: aquâ nos solâ refocillantes, quam saluberrimam in Cathariniano hauseramus. Paullum inde progressi, circa noctis crepusculum ab aliquot adorimur grassatoribus: fit clamor utrinque: Illi nostrum interpretem (quia primus eis occurrit) circumdant, clamorem tumultuosum ingeminant, barbarum nescio quid perstreptentes argentum perquirunt: quo non invento, panes bis coctos aliquot dono accipiunt, ac sic post longum clamorem, quasi canes frustra carnis obiecto à latratu, desistunt. Et mirum est tam barbaram, ac sine jugo & legibus gentem, tam squalidam & pauperem, se à plagis & nece hominum continere, cum tamen impune id facere possent: Liberi enim, nec Soldanum, nec alium quempiam dominum recipiunt. Soli inter se omnes Nobiles, omnes dominos se salutant. Pauper ut dives, Nudus ut benè vestitus, armatus ut inermis, naturali quâdam concordia, æquo jure censentur. Ab his ergò grassatoribus paullum digressi corpora oppidò defatigata aliquantulo refecimus somno: Cameli enim nostri duro & incomposito incedentes gressu, aded nos elumbes reddide-

Aliud ab
Arabibus
discrimen,

Tertium
discrimen,

Arabes solutus populus legibus & domino,

rant, ut vix nos oſibus harere putaremus: Inprimis duo, Franciſci regularum quàm Equitatura magis aſſueti, lentâ & fractâ raucedine, Camelos diris devoventes, ingeminabant non ſine riſu noſtro:

O paſſi graviora, dabit DE VS his quoque finem.

CAMELVS.

Eſt verò CAMELVS animal quadrupes, turpe adſpectu, odore tetrum; caudam habens aſininam, pedes carnoſos & molles, atque in geminos fiſſos partes, licet poſteriores parùm ſint ſciſſi: poplite utrimque duplici, ſuper quo (accepturus onus) ſingillatim procumbit: dentibus in ſuperiori mandibulo caret: cibi ac potùs pro tantâ mole pauciſſimi, quatuor nempe dies impotatus incedit: urinam mittit tranſverſam & eam modicam admodum & tenuem: ſub aurâ frigidulâ pigrum eſt: niſi vel cantu hominis vel ſono fiſtula aut campana animetur: ſub aſſu Solis alacriùs incedit. Duplex eorum genus tradunt, Arabicos & Baſtrianos. Arabici bina in dorſo tubera habent, ad curſum velocioreſ dictiq; Tromedarii. Baſtriani, onera ſolùm geſtantes, tuber unum gerunt.

Vide Pliniũ
lib. 8, cap.
18.

Camelorum
duplex ge-
nus.

C A P V T X X V I I.

Reditus ad mare rubrum & Carabenam. feſſorum & famelicorum peregrinantium imaginationes. cum Mucrelo de mercede liticula.

DIB 21. *ante Solis exortum levantes, ex montibus tandem illis horrendis ad miſiora maris rubri devênimus, ac in eo penè loco, ubi à Carabenâ noſtrâ veniendo diviſi fuimus, eidem Carabena ſpèciebus Indicis onuſta, ruruſ ſumus conjuncti. Tum verò omniſ à nobis fugit timor & trepidatio, videntibuſ tanto nos hominum & animalium ſtipatos exercitu. Verumtamen toto illo die ac nocte ſine cibo, ſine repaſatione, ſine ſomno pergentes, Camelis ſemiſopiti plarumque decidebamus. Videbamus nempe (ſic Camelis ſopiti) feſſi fameliciq; fantasmata quedam cibos potumq; nobis porrigentia, ad qua capienda cum è Camelo manùs*

Famelicorum
imaginationes.

manus protendissemus, eaque quasi fugientia apprensus insequi vellemus, in terram jugiter lapsi illusiones illas non rem fuisse experiebamur. Similem passi fortunam 22. 23. diebus, mutuo nostram maciem & calamitatem adspiciebamus, invicemq; ad tolerantiam hortabamur.

Die 24. circa meridiem, Mucrelus noster, homo subdolus, à Carabenâ discedens, in montes quosdam steriles & arenosos nos traducendo defleat, ubi Camelis nobisq; quiete refectis, rursus prater aquam pecuniam expostulat, & nisi pareamus se illic nos relicturum atrox minitatur. Nos in quanto versaremur periculo videntes, nummis prolatis & datis rabidum placamus, atque ita post diuturnum litigium Camelis consensu nocte jam obscurâ ALCHANICAM redimus, ad somnum epulasq; anhelii. Tali modo iter quod prius octo egeramus diebus, nunc in reditu intra quinque confecimus.

Dolus Mucrelis.

Reditus Alchanicam. Itineris in reditu compendium.

Die 25. postquam somno desiderato totam illam noctem exegissemus, mane refecti cibis lautioribus conductisq; mulis versus CAYRUM profecti sumus.

CAPVT XXII.

Redeuntcs Cayrum denuò contumeliosè excipiuntur. Zi-raphus animal. Bos Indicus. perpeffa Saraceno cui-
dam à Mamaluco injuria. ab hac de Saracenis & Mamalucis Historia attexitur. Pyramides. Muscus animal.

CAYRUM reduces cum pervenissemus, iterum à Saracenis pueris nobis infectis excipimur infausè, jactûs pulveris, lusi, testarum, limoniorumq; putridorû sustinere coacti. Tandem TONGOBARDINI in ades intramus, ac à Negociatoribus Venetis, qui de reditu nostro diffidebant latis acclamationibus excipimur. Hi ergò multa de locis illis, multa de visis, nostròque successu interrogantes narrantium pendebant ab ore. Post ubi audisse dixisseque satis erat, suadebantque labentia sydera

Reditus Cayrum.

somnum, ab invicem digressi, optata dedimus languentia membra quieti.

Ziraphus
animal,

Die 26. per fenestram vidimus ZIRAPHVM, animal altissimum, ita ut excelsius nunquam conspexerim, estq; colore albo subrufoq; undique conspersum: collum habet longissimum, adeo ut fere bis tensa excedat brachia: caput cubitale, oculos visu gratissimos & quasi virgineos: pectore excelsum, dorso humilius: edebat panem & fructus & quidquid ei porrigebatur.

Bos Indicus.

Eodem die & BOVEM INDICVM vidimus, corpore quidem breviori, sed capite quàm nostri boves grandiori, ejus cornua in extremitatibus non acuta sed obtusa & nodosa admodumque grandia.

Die 27. & 28. nihil aliud à nobis actum est, nisi somno & quiete recuperandis viribus tempus impensum: & in sacrorum Bibliorum lectione consumptum est.

Affectus
injuria Sa-
racenus.

Die 29. per civitatem ambulantes, vidimus SARACENVM quemdam lamentantem, ac pectus caputq; tundentem.

Auctoritas
Mamalucorum,

Quæ res quid sibi vellet cum percontarem responsum est nobis, Saracenum illum domum nuper magno emisse ac decorasse: sed nunc à Mamaluco quodam cui domus illa complacuit, extrusum insuper vapulasse: Tanta enim auctoritatis esse MAMALUCOS, ut in quemcumq; voluerint Saracenum animad-

Saracenorum
servitus in
Cayro.

vertere liberè possint: eum domo ejicere, domo occupatâ, eamq; quàm diu voluerint inhabitare. Porro Saraceni licere nemini, Equis insidere, non arma intra urbem ferre: sed velut mancipia vilissima à Mamalucis omnia pati: eis decedi, assurgere, genua pedesq; osculari. Si quis eorum manûs Mamaluci permittitur osculari, magna id benivolentia haberi loco: quæ omnia non sine divinâ quâdam ultione justissimè ipsis evenisse, non dubium est. Superioribus nempe temporibus SARACENI adedò Christianis dominari inhiasse dicuntur, ut dum ipsi captivos suo Marte habere non possent: ab aliis gentibus, quibus cum Christianis erat bellum, id obtinere pecuniâ cuxarent. Tales proinde suo dominio mancipatos, fidem abnegare cogebant: his arabant,

Saracenorum
in Christianis
odium.

arabant, his laborabant, his denique, si quando ingrueret bellum, proscutis utebantur & muro.

Denique in tantis malis feroces empticiorum spiritus nequaquam succumbebant, sed assiduo rerum usu fortiores exercitioresque reddebantur. Tam diu verò colla sub fœda servitutis jugo tenuerunt, donec numero, Duceq; magnanimo aucti, pulcherrimum libertatis immò Imperii facinus conceperunt. Cum enim Egyptiis tempore quodam bellum externum instisset, illi coadunatis omnibus emticiis magnum conslarunt exercitum pro se in hostem dimicaturum. Quibus cum haud dubia victoria conslisset: unus ex eis, cui servitutis ignominia laborque menti federat, concione habitâ, mirari se summo perè ajebat, omnium eorum pusillanimitatem, quòdque tam aquo ferrent animo tot labores, flagella, vincula, cades: ex quibus nihil prater miserum victum vestitumque sperarent: sed si viri esse vellent, se sequerentur, omnes domini, omnes liberi futuri.

Historia
vindictantiū
se emticio-
rum,

His dictis cum feroces suo pte ingenio eorum animos accendisset, ALCAYRM concito subeunt gradu, simulq; hostium casorum pra se ferentes trophæa, in castrum Regium velut pacifici intromittuntur; Quo primùm occupato Regem cum suis obtruncant, obtruncatum extra per murum precipitant. Inde in urbem decurritur, igne omnia ferroq; vastantur: Emticii tales se in dominos gerunt, quales sunt eos in se experti. Demùm cum jam satis pœnarum sumtum esse visum est: reliquum vulgus vivere permissum est, DVX ille tanti facinoris in REGEM creatur. Emticii illi, qui nunc Mamaluci dicuntur, dominarum acceperunt bona. Tali ergò pacto genus hoc hominum cepisse ac invaluisse tradunt. Hi omnes Christianorum sunt transfuga: Natos suos baptizant, non ob religionis devotionem, sed ut ipsis mortuis bona patria hereditent. Nullus nempè non baptizatus, vel purus Saraccenus vel Judeus, potest fieri Mamalucus: sed prius baptizatur: post hoc fidem abnegat & circumciditur: dehinc ei sub planta crux inuritur, in

Mamaluci
unde.

Mamalucorum
ritus.

Vide Peuce-
rum lib. 4.
Chron,

Signum Ma-
maluco-
rum.

*religionis nostra contemptum. Horum pars major ex Russiâ, Al-
baniâ, Serviâ, Italiâ, Hispaniâ, rarissimi tunc ex nostrâ Ger-
maniâ.*

Pyramides
quid.

Origo py-
ramidum,
& usus.

Pyramis
maxima.

Lapides py-
ramidales.

Operarii
maximæ
pyramis &
tempus
confectæ.

*Die 30. ducente nos Mauro TONGOBARDINI Emicio,
visum PYRAMIDES trans NILVM iuimus. Sunt ea stru-
ctura ingentes, ex quadris lapidibus admirandâ magnitudine
fastigiata, ab igne sic dicta, cujus imitantur formam. Eas Æ-
gypti REGES sumtu ac labore pariter immensis, ut in eis sepe-
lirentur, extrui curârunt. Tàm verò ingentes fecerunt, ne po-
pulus labore vacuus conspiraret contra Reges. Porrò hæ PY-
RAMIDES tres sunt versus Lybiam spectantes, longè à Mem-
phi qua nunc Cayrus est, stadiis centum viginti: à Nilo autem
45. qua & artificio & operis magnitudine inter septem praecla-
rissima opera annumerata mirabilem stuporem prabent ad-
spicientibus. Earum maxima à CHEMMI Rege adificata
quatuor est laterum, quorum quodlibet ab inferiori parte ju-
gera septem continet, altitudo plus quam sex jugera tollit:
latus quodlibet, deducta paulatim usque ad verticem latitu-
dine, continet cubitos sexaginta quinque. Ex lapide duro, dif-
ficilique ad tractandum, sed æternum permansuro, structura
omnis constat. Ferunt eos lapides ex Arabiâ longo admodum
itinere advectos. Opus certè mirabile, præsertim in terrâ un-
dique arenosâ, ut non ab hominibus sed à Diis tanta moles vi-
deatur structa. Trecenta sane & sexaginta hominum millia,
ut ferunt, deputata ad id sunt opus, quod viginti fermè absol-
verunt annis. Verùm nullus ex iis, qui eas sibi Pyramides in se-
pulcra condidere Rex in illis sepultus est: Nam partim nimii
labores, partim crudelitas Regum & insolentia, ad iram popu-
lum compulere, ut eorum aut dissiparent corpora, aut ejicerent
ex monumentis. Quâ ex re domesticis mandarunt quidam, ut
sua corpora in loco vili obscuroque conderent, quò plebis effuge-
rent savitiam. Sunt & alia duæ Pyramides, quarum singula
latera ad duo protenduntur jugera, sed hæ jam multum defe-
cere. Porrò PYRAMIS illa maxima tanta est usque hodie
ampli-*

*amplitudinis: ut à quantumvis robusto viro, in summitate
ejus stante, ac in directum sagittam jacente, vix ad medium
sui contingi possit, id quod pleròsque robustissimos viros tentasse
sapiùs compertum est.*

Pyramidis
maximæ
amplitudo.

*Die 31. cum Negociatore quodam Italico colloquentes, vi-
dimus in domo ejus animal quoddam, nisi esset grandiusculum
Catto persimile, quod dum virga ictu ad iram concitabatur,
odoriferum quiddam edebat, quod auri pondere venditur.
Animal illud Muscus dicitur, juxta cujus umbilicum nascitur
apostema, quod extractum gratissimè est odoris, & inter primas
hominum delicias habetur. Id Itali Libetho, Germani Pssem
dicunt.*


Muscus
animal.

*Die 1. Novembris & quatuorsequentibus nihil aliud à no-
bis actum est: nisi quod res opportunas itineri Hierosolymitano
coëmimus: ea qua impedimento magis quàm usui fieri possent.
Venetias àlegavimus: mulos conduximus: necessaria in sar-
cinulas complicavimus, diem recessus avide expectantes.*

FINIS LIBRI PRIMI.



MARTI.



MARTINI à BAVM.
GARTEN
DIARIIPEREGRIN
NATORII

LIBER SECVNDVS.

Peregrinationem enarrans in
Palæstinam.

C A P V T I.

Cayrum secundò relinquunt, Alchanicam tertiò intrant. mira Ægypti incubatio. Sanctus Saracenicus. ab Arabibus discrimina. Saracenicus alius sanctus sive diabolus potius. Hujus & complicum cantus.

DIE NOVEMBRIS SEXTA, ACCEPTA à
TONGOBARDINO *abeundi facultate, nos redituros simulavimus, dolos ejus nobis clam detectos formidantes. Atque ita invocato denuò Divini numinis auxilio alteram auspicali peregrinationem CAYROq; digressi ALCHANICAM perreximus, inq; casam quandam recipimur, in cujus medio planicies ampla erat cum hortulo, undique septa macerie, in quâ sic sub dio cœnavimus & quievimus. Vidimus ibi furnum quendam, undique fimo limoque obseptum, in quo solebant reponi multi generis ova: aucarum, gallinarum, columbarum, & ceterorum animalium, quæ*

Pellorum in
Ægypto
exclusio in
furno.

qua non per incubationem matrum, sed per ignis finique forum in pullos vivos secundum genus suum brevi tempore ex-
eunt, ac deinde sub manu hominis vel ad pascua vel ad forum
ducuntur, sequentes eum ut reliqui pulli naturaliter geniti
suas matres. Qua res tametsi ficticia videri aliquibus possit,
verissima tamen est. Nam in ejusmodi furnis aliquando tria
aut quatuor millia diversi generis reponuntur ova, & omnia
per artem illam in pullos fiunt. Hoc verum esse vident omnes,
qui copiam innumerabilem pullorum per Egyptum ubique
abundare cernent.

Copia pullorum ejusmodi in Egypto.

Die 7. ex ALCHANICA egressi, venimus ad casale quod-
dam BELBES dictum, ubi Carabena cuncti Damascum sumus
conjuncti. Ibi vidimus SANCTVM unum SARACENICVM,
inter arenarum cumulos, ita ut ex utero matris prodiit, nu-
dum sedentem. Mos est, ut didicimus eo tempore, MAHOME-
TISTIS, ut eos qui amentes & sine ratione sunt, pro SANCTIS
colant & venerentur. Insuper & eos, qui cum diu vitam ege-
rint inquinatissimam, voluntariam demum penitentiam &
paupertatem, sanctitate venerandos deputant. Ejusmodi verò
genus hominum libertatem quandam effrenem habent: do-
mos quas volunt intrandi, edendi, bibendi, & quod majus est,
concumbendi: ex quo concubitu, si proles secuta fuerit, sancta
similiter habetur. His ergo hominibus dum vivunt, magnos
exhibent honores: mortuis verò vel templa vel monumenta
exstruunt amplissima, eosque contingere ac sepelire maxima
fortuna ducunt loco. Audivimus hac dicta & dicenda per in-
terpretem à Mucrelo nostro: Insuper SANCTVM illum, quem
eo loci vidimus, publicitus apprimè commendari: eum esse ho-
minem sanctum, divinum ac integritate precipuum, eo quòd
nec feminarum umquam esset nec puerorum: sed tantummo-
dò a sellarum concubitor atq; mularum. Risimus hanc præclaram
sanctitatem, imò bestialitatem hominum, qui quod nobis abomi-
nandum & ignis penam dignum videtur: hoc illi sanctum censent
& laudabile. Sed gens est sub humanam formam bestiam portans.

Sanctus Sa-
racenicus.

Mahometi-
stæ vesanos
habent sa-
pientes, im-
mò Divos.

Scelestissi-
mi sancti.

N. B.
Sanctitas
diabolica.

K

Nocte

Fures.

Nocte illâ in extremis Carabena contra fures conclamatur, consurgitur, tumultuatur: sed illi ablato quopiam impune evaserunt. Locus enim stationis nostra ex unâ parte cinctus erat sylvâ Sicomororum, ex alterâ rivulo submurmuranti, ultra quem videre erat regionem amœnissimam, ac jam iterum illo anno fruge refertissimam.


Tutores Carabenarum.

Die 8 in eodem loco aliquandiu substitimus, nondum enim tota confluxerat Carabena, sed multi undique ad eum locum adventabant: Numero justo autem expleto inde discessimus: nobiscum erant quadringenti ferè viri armati: nihilominus eodem die ter nos invasuri videbantur ARABES. Qui omnem illam oram suis jugiter infestant latrociniis: sed Mamaluci equites & sagittarii pedites ubi aliquid sinistri sentiebant, protinus ex utrâque parte se opponebant, nobis interim cum impedimentis concito itinere pergentibus.


Sanctus prophanus alius, præceptor.

Vespere ejus diei venimus ad quandam limosam turbidamque paludem, ex quâ nobis jumentisque potum accepimus. Ibi vidimus qualiter pseudosanctus quidam Saracenicus, veste indutus diversicolore, stramenticioque pileolo contectus, vexillum quoddam rubeum SOLDANI signis depictum manu gestans quatibat, atque SARACENOS ad jubilandum convocabat. Erat verò cantus eorum sub iisdem omnino verbis & melodiâ, nisi quod in initio valdè tractim & morosè canebant, postea verò quod amplius cantus tendebatur, eò magis etiam melodia concisior & brevior fiebat, quod ut melius pateat, formam ejusmodi cantûs diligenter perceptam in tabellâ exarabamus:

Cantus Saracenorum.



Conclusio.



CAPVT

CAPVT II.

Salheyō, Cattiam, deserta pererrant. numerosa in deserto
cadavera. quomodo fusa. Admiraldus à Soldano
veneno sublatus. Salinz circa mare. Mamalucorum
tutorum cum Mucrelō litigium.

DIE 9. Novembris, exinde moventes venimus ad pagum di-
ctum SALHEYO, circa quem in horto vel potius nemore Salheyo
palmifero aliquantisper dum repausaremus, attulerunt nobis pagus.
ejus loci incola melones, cucumeres, datylos, necnon & panes
& gallinas, quibus levi satis precio affatim comparatis, utri-
busq; ex proximâ palude repletis, circa vesp̄erum inde surrexi-
mus, ac totam illam noctem equitando, tandem prope aurora
ortum in tumulto quodam modicum requievimus.

Die 10. ivimus per altissimos arenarum colles, usq; ad oppi-
dum CATTIAM, prope quod circa nemus palmiferum perno-
ctantes, multos vidimus Arabum latrones, sed illi propter Ma-
malucos nostros, nihil hostile in nos ausi, quietos nos dimiserunt. Cattia op-
pidum.

Die 11. ac nocte insequenti perreximus in arenâ & pro-
fundissimâ, & qua levitate suâ gradientium subtraherat ve-
stigia, ubi nihil prater cælum & arenas erat videre, nihil vi-
ride, arborem nullam, fruteta nulla. Itineris in
deserto dif-
ficultas,

Die 12. Sole oriente ad desolatum quoddam & lacerum tu-
guriū venimus, ibique ferè duabus horis pausantes inde per
iter arenosum ad mare tandem venimus. Prope tuguriū
istud & vidimus & sensimus supra decem millia, ovium, capra-
rum, asinorum & aliorum animalium terrâ jacentium, quæ
jam putida & semi-consumpta odore nos letali afflabant, atque
ideò velocius iter accelerare cogebamur. Porro ea animalia
ADMIRALDVS, ex Satrapis SOLDANI primus, in Jv-
DABAM censa capitum exigere missus: ubi pecunias conflare
non potuit, crudeliter à pauperâ extorsit plebe, atque in CAY-
RVM ducere, SOLDANOq; pro grandi munere adferre
voluit. Sed dum per desertum illud ageret iter, aqua & pabu-
li penuriâ consumitum totum illud pecoris agmen amisit. SOL-
DANVS

Admiraldi
punitur
vitia.

DANVS his compertis, simulq; secum reputans quanta ADMIRALDVS ille esset apud omnes Mamalucos auctoritatis, veritus ne si CAYRVN sospes intraret, sibi regnum vitamque eriperet: vestem ei auream quasi gratulabundus pramissit, ac deinde poculum letiferum dari subordinavit, quo ille hausto continuo mortuus SOLDANVM & suspitione suâ liberavit, & multis divitiis effecit ditiores.

Salinæ ad
mare.
Exinde pro-
ventus.

Laritsch pa-
gus.

Mamaluci
precium tu-
taminis exi-
gunt.

Mamalucorū
cū Muc-
relo liti-
gium.

Post ubi ex fatore illo effugimus, venimus ad quendam maris sinum, circa quem in longum multa videbantur salina: Mari enim crescente ac se in humiliora loca effundente, remanet aqua in fossis, quæ Solis aestu durata in salem fit: ex quâ re tradunt centum millia seraphorum provenire SOLDANO. Diem illum totum & ad usque noctis medium jugiter pergentes, venimus ad vicum dictum LARITSCH, ibique paullum quieti operam dedimus. Inde surgentes cum ad alium maris sinum venissemus, omnes mulis descendere iussi sumus, Mamaluci nempe tutores nostri, precium tutaminis sui à nobis exigebant, à singulis capitibus seraphum. Quod dum undique fecissent, ad nos tandem etiam ventum est. Renitimur, atque per interpretem clamamus: Mucrelum nostrum ad solutionem illam teneri: ita enim nos cum eo convenisse, ut nihil usquam de nostro expendendum sit: dicta chyrographo ejus firmamus. Mamaluci, quia nos lingua ignaros viderant, & in re ipsâ trepidulos, commiseratione quâdam erga nos tacti, Mucrelum circumstant, aurum expostulant, multa loqui parantem ad plagas inclinant, qui rei cernens nodum resolutâ capitis sui vittâ aurum tandem satis invitatus exprompsit.

CAPVT III.

Conductus interpres. comparatus habitus Saracenicus. Gazera urbs. templum Dagon &c. tandem HEBRON deveniunt.

DIE 14. cum Solis ferè occasu GAZAE adpropinquamus, quam diu obequitantes in ades tandem Mucreli nostri re-
septi

cepti sumus, ibique biduo commorantes, conduximus Iudaeum quemdam nomine DAVID interpretem: ex cuius consilio comparavimus nobis habitum Saracenicum vilem & humilem, in cuius prae-textu liberio-rem ubique habuimus introitum atque exitum. Et haec-tenus quidem tantum capita vela-vimus, more gentis Chonis praecincti, vestes verò gerentes Graecanicas, non satis occultare genus nostrum potuimus. Nunc verò Saracenis per omnia, & habitu, & tonsurâ capitis, formâ in super barbarum per similes, libere quocumque libuisset, procedebamus. At verò GAZA sive GAZERA, una ex quinque Palestinorum civitatibus magna quondam & munita, à PERSIS sic dicta, apud quos hoc nomen ararium signat: Eò quòd cum CAMBYSES Persarum Rex Egyptum peteret, huc belli & opes & pecuniam intulerat. Magna est & hodie civitas hac, & major Hierosolymâ, sed immunita, in loco feracissimo haud procul à mari sita, septa undique hortis amœnissimis, qui palmis, malis-punicis, malogranatis & aliis arboribus sunt referti, visuntur in eâ plurima & vetusta atque magnifica palatia, quaedam integra, ruinosa quaedam. Extat etiam ibi templum DAGON semidirutum, quod, ut habetur Judic. 16. SAMSON apprehensus duabus columnis concussit, ac se omnemque ibi existentem interfecit populum. Videntur ibi dicta columna ob rei monumentum immurata. Erat verò templum illud, ut ejus ruina declarant, amplissimum, lapidibus sectis & eis prae-grandibus fortissimè compactum. Ab hac civitate, uno ferè versus HEBRON milliari, proeminet mons ille, in quem, ut habetur dicto cap. Judic. SAMSON apprahensus ambas portas cum pos-sibus & serâ, in humeris suis portavit incomparabili robore.

Interpres,
Habitus Sa-
racenicus.

Gazera
urbs.

Curtius,
lib. 3.

Ejus ampli-
tudo.

Templum
Dagon.

Columnæ
Samsonis.

Templum.

Mons, quò
portata por-
ta Samso-
ni.

Die 17. circa meridiem versus Hierosolymam exeuntes ad pagum quendam devenimus, ibique nos mulosque propter imminuentem via difficultatem refecimus. Inde surgentes, notis beneficio usi sumus propter latrocinia: habuimusque iter valdè molestum, tum propter metum latronum, tum quia iter ipsum admodum erat abruptum, invium, saluosum & caver-

Vix aspe-
ritas.

nosum: quo fiebat, ut tam mulis quàm nobisipsis valde fatigatis in quâdam convalle angustissimâ necesse esset subsistere viresque debilitatas serîo, resumere.

Die 18. euntes inter confragosos collium vertices, multas ibi salubres herbas vidimus, quas & decerpentes (neque enim mulis sessum capere dabatur) odore earum mirificè confortabamur: tandem ex angustis illis erui ad publicam pertigimus viam, brevique ad vicum quendam in edito situm colle applicuimus. Dicebant terra Judæa ibi esse initium. Hic ergò utribus aquâ repletis ac pane molliori comparato, perreximus per iter difficilimum & omninò petrosum. Sicque tandem pervenimus in HEBRON, ubi in domo cujusdam pauperis vidua dato precio & precibus hospitamur.

Initium terræ
Judææ.

Hebron.

C A P V T I V.

Visuntur Patriarcharum fontes. Damascenus ager. Hebron nova & vetus. convallis Mambre. Impunæ Mamalucorum injuriæ. Nehelescol. Bethlehem.

DI E 19. Duce Judæo, nostro interprete, ac Saraceno quodam tutore contra occiduam Opidi plagam progressi sumus, visum memorata in sacris paginis loca. Ac primùm obtulerunt se nobis tres trium Patriarcharum fontes, Abraham scilicet Isaac & Jacob. Dehinc ager DAMASCENVS, in quo protoplastes formatus assertitur sive opinatur. Est verò ager iste jactu ferè ballistæ ab Hebron ad occasum semotus, ejus terra subrusa est & ad instar cera tractabilis: ob quam caussam Saraceni ex eâ globulos faciunt, Christianis eosce ad precum suæ pervacancæ dinumerationem vendentes. Hanc etiam terram Saraceni omni anno in diversas ac remotas mundi partes transportant: ferunt quippe à nocivò quovis animali ladi non posse eos qui glebam hanc secum habuerint, sed & à casibus gravibus sive ossifragis immunes reddere. Ceterùm, ut Josephus meminit, HEBRON non modò ejus terra civitatibus, ve-

Tres fontes
Patriarcharum.
Ager Damascenus.

Globuli ex
agro Damasceno.

Terra agri.

HEBRON.

SEPHVS

*bus, verum & MEMPHI Aegyptiâ antiquior est; sed nunc vi-
cui quàm civitati similior: illo exstructa loco ubi spelunca du-
plex, Patriarcharum & conjugum sepultura.*

*Porro super speluncam duplicem exstructa stabat quon-
dam Ecclesia nobilissima. Ibi enim florente fide CHRISTI,
sedes erat Episcopalis: nunc infidelium Muschkea, qua tamen
etiam ab eis in magnâ habetur veneratione: in tantum, ut qui
vel aetate vel inopiâ aut valetudine MECHAM, ubi pseudopro-
pheta eorum sepultus est, adire non possit: hunc saltem locum
atque templum Hierosolymis adoraturus accedat: verum ne-
mini nec Judaeo nec Christiano ad Ecclesiam hanc aditus patet.*

Muschkea
infidelium
erecta super
speluncam
duplicem.

*Propè HEBRON modernam est in colle edito ac exiguo vetus
HEBRON, imò ruina tantum ejus, in quâ DAVID septennio
regnasse sacra tradunt historia, ubi etiam usque hodie sepultu-
ra patris ejus JESSAE monstratur. Ab hac veteri HEBRON*

Vetus He-
bron.

*dimidio ferè milliari, est convallis MAMBRE, ubi, ut ha-
betur Genes. 18. ABRAHAË sedenti in ostio tabernaculi sui,
DOMINVS apparuit, ubi tres vidit, unum adoravit. Ex
HEBRON volentibus nobis recedere, venit Mamalucus loci*

Sepultura
Iesæ.

*illius praefectus, mulos à nobis conductos & alios quos reperit,
vi abstulit, res suas Damascum deferendas illis imposuit. Nos
cum diu hinc inde alios quæreremus mulos, vix duos tandem
reperimus, quibus oneratis ipsi insequimur pedestres. Et erat
iter difficilimum praescabrie nimia, ubi nihil terra, sed nuda
saxa longum ac montuosum occupabant iter. Crescunt ta-
men (mirum dictu) in nudis illis petris rara oliva, ficus, ac ma-
logranata: cum ergo supra opidum paullum processissemus, vè-
nit ecce instar turbinis Mamalucus quidam, super unum no-
strum a sella praevalitudine sedentem irruit, non moratur ille,
desilit jumento protinus: Mamaluco ejus copiam facit: sed ille
jumento non contentus, Judaeum quemdam comitem nostrum
Equo sedentem desilire jubet. Differt parum Judaeus, ac Ma-
malucum precibus flectere parat: Mamalucus non statim sibi
obsecutum indignatus, Judaeo verbera infert, auget probra
plagis.*

Convallis
Mambre.

Mamalucus
in Hebron.

Mamaluci
alicujus in-
juria illata
Iudæo.

plagis: Judeum senem ac invalidum equo deturbat. Accurrunt Mucreri nostri, Mamalucum precantur, parcat imbelli senectuti, manus ejus deosculantur pedesque. Idem facit & Judaeus. postremò nummis prolatis placatur Mamalucus, placatus abit. Judaeus verò plagis tuber, vix equum alienà fultus ope adscendit. Post hoc ceptum carpentes iter, praterivimus ad levam NEHELESCOL, id est, torrentem botri: unde, ut habetur Num. 13. exploratores MOYSIS absciderunt palmitem cum uvâ suâ, quem portaverunt in veste duo viri: de malogranatisq; & de ficis ejus lociferentes. Tandem advenientes Bethlehem, BETHLEHEM, civitatem & DAVIDIS & CHRISTI DOMINI nostri nativitate insignem, excepti sumus benignè in Monasterio Franciscanorum, quibuscum nocte illà pernoctantes pro fortunâ Monachorum & consuetudine lautè satis sumus epulati.

CAPUT V.

Templi Bethlehemitici olim magnificentia. Soldani sacrilegium. multæ lustratæ antiquitates. Hierosolymam intrant. Abraham custos sepulcri DOMINI.

*Templum
Bethlehemiticum.*

DI 20. è mattis molliusculis surgentes, CHRISTO sacras intramus ades, quæis dum in vigore essent, similes puto, orbis non habuit. Sunt enim statuaria opere tota admirabiliter ornata, marmore candido ac electissimo mirifice vestita, viginti duabus columnis per duplicem ordinem egregiè sustentata: Olim autem quadraginta ejusmodi columnas habuisse, locus ipse ac ruina indicant. Porro à columnarum summitate ad trabes usque videntur opera miri decoris, historiis sacris artificiosè depicta, ac marmoreis tabulis ultra quàm dici possit, splendidissimè decorata: qua precii videntur incomparabilis, lenitate suâ & fulgore cum speculo mundissimo certantes: aded, ut annis superioribus SOLDANVS quidam ejusmodi tabellarum allectus decore, CAYRV multas ad palla-

Soldani sacrilegium.

tiuum

sium suum decorandum auferri curârit sacrilegus. Hic nobis monstrata, qua in precio ibi, multa, utpote locus Nativitatis Salvatoris, in quo exstructum sacellum peculiare: Præsepis item, oblationisque donorum à Magis: Circumcisionis mensa & alia multa. Lustratis singulis exoravimus duos fratres Hierosolymam ut nos comitarentur, inq, viâ cisternam Bethlehem, de qua 2. Regum 23. Sepulcrum RAHEL, Turrim gregis ruinofam, Helia, Habacuc, Simeonis domos, ut indicabantur à comitibus, contuiti sumus. Has circa primùm civitas sancta se nobis ostendere incepit: quam contuiti latis agimus immortalis DEO gratias vocibus, qui nos per tot pelagi ac terrarum spacia ac discrimina, mente & corpore sanos protegere & huc usque perducere dignatus esset.

Antiquitates in Bethlehem.

Sepulcrum Rahel.

Itaque per VALLVM ENNON (qua est inter GYON & montem SION) civitatem sanctam HIEROSOLYMAM ascendimus: in monasterium fratrum Minorum (quod in monte Sion situm est) ducentibus nos Franciscanis, intramus, excipimur, assignatur nobis locus, reficimur.

Hierosolyma.

Eodem die circa vesperam ABRAHIM, custos sepulcri Domini, peregrinos venisse persentiens, ad nos venit, colloquitur, numerum pecunia diemque, sepulcrum Dominicum intrandi, præfinit. Nihil tunc nobis literæ SOLDANI Tongobardinive profuerunt: pro quibus octo seraphos in CAYRO expromseramus: licet eas dominus HIEROSOLYMÆ cum summâ acceptas & exosculatas reverentiâ, capitisque suo superimpositas legisset: ad nummos ire oportebat, eorum uti operâ, eorum fulciri præsidio. Datis itaque viginti seraphis intrandi templi & sepulcri vendita nobis licentia, quam capeffere futurâ cogitabamus luce.

Abraham custos sepulcri Domini.

Literæ commendatiæ Soldani apud dominum Hierosolymæ. Precium licentiæ visitandi templi.

CAPVT VI.

Intrant sepulcrum DOMINI. antiquitates lustrant. describitur sepulcrum.

DI 21. Novembris circa Solis ortum imus ad sepulcrum Domini, comitati autē nos sunt omnes ferè de monte SION

L Mona-

Monachi. Postquam autem ad fores templi venimus, offendimus illic ABRAHIM cum multis Saracenis sedentem, nostrumque expectantem adventum. Qui ubi omnium nostrum nomina sigillatim perquisita annotasset, templum nobis patefecit, quod statim ingressis nobis, de foris conclusit. Induuntur Monachi pictis vestibus, singuli ardentes accipiunt cereos, canere occipiunt. Finito cantu unus eorum ad nos conversus sacra monstrat & explicat loca: Apparitionis primum CHRISTI à resurrectione, dein procedendo montis Calvaria, ubi crucifixus vita DOMINVS. Scissuras ex terra motu sub passione demonstrat: flagellationis columna in cancello inclusa partem: Sacella, diversarum rerum memoria exstructa, plurima: in illo qua in Golgatha indigetatur, hoc BALDVINI Regis legimus Epitaphion:

Balduini
Regis Epitaphion.

*REX BALDVINVS Iudas alter Machabæus,
Quem formidabant, cui dona tributa ferebant
Cedar, Ægyptus, Dan & homicida Damascus,
Pròh dolor exiguo hoc ossa tegit ecce sepulcro.*

Descriptio
Dominici
sepulcri.

Tandem ad capellam Dominici venimus sepulcri, in hoc intramus per ostium valde humile & depressum, ita ut vix duos cubitos capiat in altum, patulus locus non desuper, sed à latere meridiano, quà inferebatur corpus: lampadibus 38. perpetuò illuminatur. Tota structura sepulcri DOMINI foris, habet speciem turris quadrata: in cuius angulis eminent columna hexagonales, & hæ usque super tectum capella surgentes, testudinem quandam, qua est super tectum capella, sustentant. Supra testudinem verò tabernaculum quoddam eminet, cum duplici ordine sex columnarum continentium trium cubitorum mensuram: Super has autem columnulas est fornix modicus, totus inauratus, qui globi præ se fert speciem. Templum ipsum, in cuius ferè medio sacellum hoc sepulcri consistit, desuper foramen habet, tanti capax spatii, quanta est ipsa capella, ita ut sepulcrum DOMINI penè sub divo existat. Istò loco devotè orantes commoramur & pernoctamus.

Templi foramen desuper.

CAPVT.

CAPVT VII.

Varia antiquitates extra urbis ambitum.

DI 22. Novembris, Sole jam exorto, venit ABRAHIM multis comitatus & Mamalucis & Saracenis, templum recludit, nos jubet exire: paremus, temploque progredimur: redimus in monasterium montis Sion & reficimur. Refectiōe sumtā perreximus extra urbis ambitum comitibus fratribus nonnullis ad templa, sacella, diversorum sanctorum nominib. rerūque memoria nuncupata. Sub urbis & templi muro descendentes venimus ad torrentem Cedron, qui venit per medium vallis Josaphat: & aestivo quidem tempore siccus est, vere autem & tempore quadragesimali aquas copiose ebullit: super hoc torrente pons est lapideus arcualis ab Helena erectus. Trans hunc, prope viam quæ Bethaniam ducit, est sepulcrum JOSAPHAT Regis Juda, à quo & vallis illa habet nomen: estq; sepulcrum illud solidā excisum rupe, capitellam desuper habens pyramidale. Contiguum huic est sepulcrum ZACHARIAE Propheta, opus grande eq; saxo solido excisum. Vidimus & sepulcrum ABSOLONIS filii David, qui quoniam contra patrem suum belligeraverat impius & contumax, pratercuntes viatores etiam Saraceni & Mamaluci, lapidibus, loco huic maledicentes & sepulto, impetunt, videturq; ibi lapidum ejusmodi ingens acervus. Inde ad pradium GETHSEMANE pergentes locum orationis afflicti CHRISTI, capti, ligati, lustravimus. Abhinc digressi venimus descendentes ad templum B. MARIAE Virginis Deipara, ferè in vallis Josaphat medio constructum: in quod per 48. gradus descensus est. In templi medio sepulcrum est beatissima Virginis Mariae, ex candido structum marmore: sepulcro Dominico amplius, habetque ostiola duo contra se opposita, hic carnis resoluta nexibus reposita esse creditur. Inde MONTEM OLIVETI ascendimus, Salomonis templum directè adspicientem, eiq; versus Orientem oppositum. Exhinc vastissimus est undique prospectus ad mare

Templū
exitus.Torrens
Cedron.Pons Helē-
næ.Sepulcrum
Josaphat.

Zachariæ.

Absolonis.

N. B.

Gethsema-
ne præ-
dium.Templum
semper vir-
ginis.Mons oli-
veti.

mortuum, Arabiam, montesque Abarym, Nebo, Phasga & plurima loca alia.

Betphage.

Descendentes versus mare mortuum BETPHAGE lustravimus: in quo loco Guardianus de monte Sion solet omni anno in die palmarum cum fratribus suis ascendere a sellis, ac Hierosolymam intrare, ob memoriam facti ibi à CHRISTO patrati. risum & lusum debens Saracenis.

Καροζήλις

Monastica.

Bethania,

Dein BETHANIAM devenimus, olim castellum, nunc exiguum villulam, quae uno ferè milliari germanico distat ab Hierosolymis. ibi usque hodie monstratur sepulcrum LAZARI, ipsis Saracenis plurimum in veneratione: super illud vexillum quoddam pendebat, literis Saracenicis & figuris quibusdam depictum.

Sepulcrum
Lazari.

Domus Si-
meonis le-
prosi.

Abhinc non procul domus SIMeonis leprosi monstrata, quae ex ruinis extantibus magnificum quid olim fuisse arguitur: erat enim & secto lapide fortiter constructa & fossa satis patenti atque profundâ communiebatur.

Arbor sus-
penſi Iudæ.

Inreditu Hierosolymam ad truncum arboris descectimus, in quo JVDAS mercator pessimus laqueo sibi vitam concivisse creditur. Statim ad lavam est ejus domus, à Judæis undique propter Christianorum contumelias muro septa & obducta: circa quam domum & Judæorum est sepultura, ut qui paricum dicto mercatore nequam, in sorte.

Sepultura
Iudæorum,

Inclinante die redimus ad monasterium in ibique reficimur.

C A P V T I I X.

Commemorantur plurimæ antiquitates. mirum aucupium. Maronitæ alicujus historia. Franciscanus Apostata.

Natatoria
Siloe,

Fons.

DI B 23. *rursum ad loca sacra fama extra urbem processimus: & primò quidem descendentes versus meridianum: ad Natatoria SILOE venimus, ad quem locum CHRISTVM sanatum remisisse legimus cecum Johan. 9. Propè fons SILOE est,*

est, claras & limpidas evomens aquas: Hunc super in montis
 penè medio est AGER ACHELDAMACH, emptus eo precio
 quo CHRISTVS DOMINVS à Judâ fuit venditus. Hunc
 agrum Regina Helena undique alto circumsepsit muro: ac de-
 super testudine texit, in quâ novem fecit foramina, per quæ &
 lux desuper, & mortuorum inferuntur corpora. Habet in la-
 titudine pedes quinquaginta, in longitudine vero 73. Abhinc
 versus Orientem conversi, introivimus antra quadam spatiosa
 in petris, ubi feruntur Apostoli tempore passionis CHRISTI
 latitasse. Vidimus ibi aucupium nobis hæcenus invisum. Non
 enim escâ, ut in terris nostris, sed aquâ in rupem effusâ, aves ca-
 piuntur. Siticulosa enim & aspera est admodum ea regio:
 quo fit ut avicula in aëre volitantes, & ex resplendentia So-
 lis in aquam petris effusam desipientes, appetitu sitis ad la-
 queum convolitent, atque ita capiantur. Visis his erat refe-
 ctionis tempus, regredimur in montem Sion & prandemus.
 Abinde excundo venimus ad portam templi quæ dicitur spe-
 ciosa, ubi Petrus jacentem ex utero claudum sanavit. Actor. 3.
 Postea volentes propius accedere TEMPLVM SALOMONIS,
 à Saracenis prohibiti sumus ac vi minisq; repulsi, atque in me-
 dio ferè graduum porta illius consistentes, deturbati. Quan-
 tum tunc & aliàs ex locis aliis videre potuimus, templum illud
 amplum admodum non est, quippe quod vix dimidiam partem
 prisca illius & veri templi obtineat. Forma ejus est duodecim
 angulorum. Tectum habet plumbeum, in cujus medio globosa
 & rotûda quadam eminet fabrica, cui superest circulus Luna-
 ris, quod signum in omnibus Muskeis suis Saraceni vel foribus
 vel tecto applicare moris habent. Intus duo lampadum millia
 jugiter ardere dicuntur. Circum hoc templum est area qua-
 dam ferè in quadro, tantum spaciî occupans, quantum arcus
 jâcere solet, estq; tota marmore strata candido, quod templo illi
 multum addit & splendoris & majestatis. Solis enim radiis re-
 splendentibus ita refulget, ut intuentium oculi quasi à solis ra-
 diis avertantur: facit ad hoc multum, candor, lenitas, & mun-

Ager Achel-
damach.

Murus He-
lenæ.

Aucupium
per aquas.

Porta spe-
ciosa.

Salomonis
Templum.

Veneratio
templi Sa-
racenorum.

dicia loci. Hoc templum SARACENI in longè maximâ habent reverentiâ, adeò ut ipse tum SOLDANVS, summum se ejus sacerdotem, tutorem & conservatorem, scriberet. Vocantque illud, rupem sanctam. Porro hoc templum in monte MORIA, SALOMON primus construxit, quod deinde sapiens bellicus absumsit ignis, ac rursus illud diversorum Regum ac populi excitavit pietas. Verum nemini Christiano nec Judæo in hoc templum patet aditus. Si quis enim talium hic deprahenderetur, sine morâ aut fidem suam abnegare cogeretur, aut dissecaretur medius: id quod Christiano cuidam de sectâ Maronitarum abhinc ante semestre contigisse, ad nos relatum est. Hic nempe dum in habitu Saracenco templum hoc exploraturus intrasset, Christianus esse nescio quomodo agnitus est. Proinde morte sibi intentatâ territus, fidem abnegavit ac Mahometicam induit: sed conscientia stimulante non diutius in errore moratus, acta sua revocavit. Sicque ante templum sepulcri Domini ductus, atque ibidem per medium sectus est. Nihilominus sic casus tribus supervixit horis: multa pro fide Christianâ, multa contra Saracenorum deliramenta locutus, tandem illi pro cuius fide passus est, reddidit spiritum.

Maronitæ
historia.

Franciscanus nequam
apostata,

Per idem ferè tempus, Monachus quidam ex congregatione Franciscanâ, inhabitantium montem SION, nescio quibus Sathana technis delusus, ultrò apostata fit; quem nos ante hoc temporis in CAIRO Mamalucantem & vidimus & de apostasiâ allocuti, nihil apud eum profecimus. Propè hoc templum versus montem SION, est Ecclesia quadam oblonga, plumbo similiter contexta, qua quondam porticus Salomonis dicebatur, sive domus saltûs Libani: quia in eâ Salomon docebat & judicia faciebat: & quia de lignis è saltu Libani constructa erat. Dum Christiani potirentur Hierosolymâ, templum illud Mariæ Virgini erat dicatum. Feruntur nunc in illo supra octingenta lampades perpetuò ardere. Estq; multò amplior, quam nunc est templum Salomonis. Sub hujus templi Salomonisq; ambitu subterraneo (ut nobis fide dignus quidam comes.

Porticus Sa-
lomonis,

Structura
subterra-
nea.

comes noster usque Damascum retulit) est sumtuosa quadam & mirabilis structura adeo ampla, ut multa hominum millia ibi recipi commodè possint, in quâ sunt columnarum multi & stupendi ordines: ita ut ambo jam dicta templa cum arcibus suis super illis columnis consistant. Dehinc vidimus precio dato & lustravimus domus & Pilati & Herodis: hac regalem adhuc obinet decorem, marmore coloris varii structa, istâ Saraceni utuntur pro stabulo equorum. Hinc Monasterium, appetentes requiem, repetimus.

Domus Pilati & Herodis.

CAPVT IX.

Intrant templum secundò. Ejus diversæ describuntur sectæ, earumque religiones & ritus.

DI 24. circa Solis occasum assumtis nobiscum Monachis quibusdam templum sanctum secundò intramus, omnia prius descripta loca iterum adeuntes ac visentes. Tum in choro Græcorum, monstratus est nobis locus lapide ferè cubitali signatus, quem centrum terra dicunt esse habitabilis: Davidicam illud ad literam intelligi volentes, hucq; accommodantes: **D**EVs autem Rex noster ante secula: salutem in medio terra operatus est.

Centrum terræ.

Psal. 74.

Permansimus autem illic totum triduum, templi & in eo locorum sitorum formam, habitantiumque in eo Christianorum genera, sectas, mores, magnâ ex parte addiscentes. Et opera precium est, in hoc uno templo habitantium tot sectarum, audire dissonas linguas, voces, melodias, ritus, ceremonias, habitus moresq; hominum illorum, qui licet in omnibus penè differant, in hoc tamen uno concordant, quòd **CHRISTVM DVM** laudant, credunt, confitentur. Inter quas hominum sectas precipui sunt Latini, Franciscani. **SECUNDI** Græci sunt. **TER-**
TII Suriani. **QUARTI** Georgita. **QUINTI** Jacobita. **SEX-**
TI Indiani qui & Abasini. **SEPTIMI** Armeni. De quibus singulis pauca subinferam.

Sectæ templo habitantes.

FRANCISCANI qui se & **FRATRES MINORES** nominant,

Franciscani
mendican-
tes,

Abundantes
mendici !

*minant, per superiores suos in civitatem sanctam ordinati transmittuntur. Prius tamen triennio in Candiâ expleto: quorum de numero cum quis morte occumbit : alius in locum ejus subrogatur. victum habent & vestitum ex Elemosynâ peregrinorum adeos adventantium. Multum etiam VENE-
TORVM liberalitas eos reficit. Ferunt singulas naves, quae velo reguntur, portui Candia applicantes, nummum aureum sive Ducatum solvere : & hanc summam (qua sine dubio magna est) Veneti fratribus inibi manentibus contribuunt, & illi rursus vel pecuniam vel cambium vel res usui necessarias, suis HIEROSOLYMA transmittunt. Multique alii Principes eos sumtibus fovent. Nos dum ibi essemus, Rex Francia LUDOVICVS quingentos eis ducatos per quemdam peregrinationis nostra consocium liberaliter direxit. Habent Hierosolymis monasterium in monte Sion, deguntque inibi plarumque viginti numero. Habent haud procul à se monasteriolum, ubi plarumque quinque, aut sex ordinis eorum, agunt Moniales, sustentanturque à Sionitis provisoribus. In Bethlehem monasterium habent septem fratrum, custodientium praesepe. Amplius habent in templo sepulcri Domini duos, sacerdotem unum, alterum laicum, qui spacio unius mensis ibi constituuntur, & juxta ordinem mutantur, sepulcrum custodientes, mundantes, illuminantes.*

Habent in custodiâ plurima sacella atque altaria propria in monte Calvaria, valle Josaphat, Bethaniâ, quae omnia cura & sumtu ingenti conservant. Missas & officia sua reliqua ibi ante lucem peragunt metu Saracenorum. Reliquum omne diei tempus consumentes in ociosis peregrinationibus nunc ad sepulcrum Domini, nunc ad montem Oliveti, vallem Josaphat, aliquando Bethaniam, nonnunquam Bethlehem, ad montana Judaeae, in desertum Johannis &c. A Saracenis, Judaeis, nec raro à Christianis multa patiuntur incommoda. Nam praeter id quod Saracenis poscentibus quibusvis cibos praebeant, quodq; domino Hierosolyma annua munera offerunt, SOLDANO etiam

etiam ipsi, ut relatum nobis, mille ducatos pendunt. Inter hac tamen nulla hora est, momentum nullum, quo sibi vita securitatem polliceri audeant. Peregrinis ad se venientibus omnem exhibent humanitatem, consilium, hospitalitatem: insuper quid factu opus sit (non tamen absque sacro denario) quid declinandum, cum fide edocent.

GRAECI sunt de primitivâ Ecclesiâ, Romana sed inobedientes, imò omninò adversi: nec Papam curant nec censuras ejus Ecclesiasticas. Eorum Clerici uxores ducunt. Barbas protensas nutriunt, imberbes sacerdotio arcent. In Sabbatho ab esu carnum non abstinent, praterquam in Sabbatho Pasche in quo jejunt. In pane fermentato Sacramentum conficiunt. Conficientes aquam vino non miscent. Sacramento per fratres minores confecto nullum exhibent honorem. Sed neque eos in locis suis tanquam excommunicatos celebrare permittunt. Si verò ex arduâ quâvis causâ permiserint, continuò locum ipsum abluunt, tanquam sacrificio eorum contaminatum. Inter omnes alios Orientales Christianos plus adversantur illis qui sub Romani Pontificis jugo, ita ut communi eos pro-verbio nominent Latinos canes. Habent in templo sepulcri Domini Chorum, in quo officia more suo peragunt. Locum item montis Calvaria, ubi crucifixus est DOMINVS: Extra templum habent sacellum dicatum omnibus angelis. Qua omnia custodiis observant & ampullis illuminant.

Græci Monachi ad-
versi Papæ.

Græcorum
in Mona-
chos Ponti-
ficios odiū.

Latini ca-
nes.

SYRIANI sunt, qui provinciam Syriam incolunt, sub fædo Saracenorum jugo degentes: genus hominum meticulosum; fallax ac leve: Christianorum ad Saracenos delatores, ex cōvictu Saracenis similes: ritus ac doctrinam Græcorum per omnia amplectentes. Habent in templo sepulcri sacellum S. Helena. In negociis suis utuntur linguâ Saracenicâ, in sacris verò Gracâ.

Suriani
Monachi.

GEORGIANI sunt populi Orientales, fortes ac bellicosi virorum pugnantium numero abundantes, à Georgio, ficto sancto sic dicti, quo patrono ac vexillifero utuntur, magnam ei

Georgiani
bellicosi.

M

exhi-

Fœminæ
Georgi-
anorum.

exhibentes reverentiam. Eorum dominium ad usque montes Caspios protendi tradunt. Hi populi quamvis undique Saracenis sint septi, neminem tamen formidant, ipsi plus formidandi. Et quoties Hierosolymam peregrinantes veniunt, semper aperto Marte signisque erectis sine tributo ullo aut molestiâ, liberi intrant. Eorum fœmina nobiliores more Amazonum arma tractant. Viri, capillos ac barbam nunquam deponunt: pileos diversicolors gestant. In omnibus fidei articulis sequuntur Græcos. Eorum Clerici habent coronas rotundas, laici quadras. Habent in templo sacellum inventionis S. Crucis, nec non in monte Calvaria & alibi sua. utuntur in sacris linguâ Græcâ, in negociis Chaldaâ & Saracenicâ.

Iacobitæ.

Iacobitarū
ultæ fron-
tes,
Superstitio
precandi,

JACOBITÆ sunt populi Asia, cujus magnam partem inhabitant, majorem Ethiopia usque in Indiam superiorem, adeo ut 40. occupare dicantur regna. Hi primum à S. Matthæo Apostolo ad fidem JESU CHRISTI conversi, post à Jacobo quodam (unde denominati) Hæresiarchâ erroribus sunt implicati. Gestant in frontibus cruces, ferro inustas, ob crucis, ut ajunt, amorem, & ob inter se & Saracenos, discrimen. Peccata non nisi soli DEO occulte confitentur: ponunt nempe thura foco & orantes credunt preces suas uno cum fumo cælum conscendere, atque ita à peccatis purgari. Infantibus ad matrum ubera pendentibus Sacramentum porrigunt: hosque insuper ad Saracenorum morem circumcidunt. Habent in templo sacellum sepulcro DOMINI coherens; præter hoc & locum in quo CHRISTVS de cruce depositus, à suis aromatibus inunctus creditur. Linguâ utuntur propriâ.

Indiani seu
Abasini
Monachi.

INDIANI seu ABASINI populi sunt ex dominiopotentis illius Regis, quem nos presbyterum JOHANNEM dicimus. Quæ natio per S. Thomam Apostolum ad CHRISTVM conversa est. Isti Indiani nigerrimi sunt, athiopibus persimiles: ad peregrinationes locorum sanctorum multum inclinati. Omnes tam viri quàm fœmina blaveo amictu capita operiunt. vestes coloratas ac lineis quibusdam distinctas portant, humiles ge-

les gestu, nudis incedunt pedibus. Circumcisionem observant. Cruces pueris inurunt in fronte, naso, vel maxillis, per quam rem originale peccatum se expiare credunt. In pane fermentato conficiunt. Sacramentum sub utrâque specie tam pueris quam adultis ministrant. In solennitatib. maximè Pascha viri ac fœmina simul conveniunt, tympanis, citharis, aliisque instrumentis Musicis personant, vocibus clamosis cantûque dissono perstrepunt: Ad plausum manuum choreas ducunt, ac per totam noctem usque dum illucescat, aded affectuosè imò laboriosè saltando tripudiant: ut sapenumè ex hâc re debilitatem & invaletudinem incurrant. Habent & ipsi in templo sacellum peculiare, atque hinc inde altaria propria. Utuntur ut linguâ, sic literis propriis: nôrunt tamen & Saracenicam.

Indianorum
festivitates,

ARMENI dicti sunt ab Armeniâ provincia: Episcopum habent quem Catholicum dicunt, cui obedientiam humilem exhibent: Gracis maximè adversi.

Armeni
Monachi,

Quadragesima jejunium observant, verùm labore & rigore multò quam Pontifici Romano obedientes majore. Neque enim solum carnibus abstinent, sed etiam ovis, caseo, lacte, oleo ac PISCIBVS & vino: fructûs tamen ac pulmenta, quoties necessitas, ne destruaturnatura, requirit, comedunt.

Solent etiam habere suum Episcopum HIEROSOLYMIS, qui duas crinium tricas sive cincinnos adusque humeros defluentes nutrit, reliquo capite rasus est. Habent in templo habitationem quandam in sublimi penes Indianos: & ut fertur, habebant quondam montem Calvaria, sed Rex Georgianorum tanta SOLDANO obtulit munera, ut ipse Soldanus montem Calvaria Armeniis ademptum dederit Georgianis. Habent insuper egregiam S. Jacobi majoris Basilicam, in eo exstructam loco, ubi ipse beatissimus Apostolus ab Herode decollatus creditur.

Episcopus
Armenio-
rum,

Porrò omnes Armeni laici tondent capita sua in modum sive figuram crucis. Utuntur tam clerus quam laici linguâ & literis propriis.

Armeniorû
laicorum
rasura,

CAPVT X.

Alia antiquitates, deque situ & nomine Bethlehem.

Desertum
Iohannis
Baptistæ.

Fons bapti-
zati Eunuch-
i Canja-
cis.
Ruinae Si-
zelech,
Bezech
villa.

Pœna talio-
nis Adoni-
bezech,

Situs Beth-
lehem,

DI 28 mane ex templo emissi ascendimus in montem Sion ad refectiorem, quâ sumtâ exivimus comitibus Monachis in montana Judæa. visentes ad desertum Iohannis Baptista, intravimus speluncam, fonte, qui sub ore huius antri ebullit limpidissimo, sitim restinguentes. Porro antrum illud totum est in rupe cavâ nescio an arte excisum, an naturâ sic exstructum, habens in colles vallésque circumjacentes vastum peramœniumque prospectum. Ex hoc loco ad australem plagam pro-
vecti, habuimus montem quendam arduum & difficilem, quo superato descendimus ad fontem illum, ubi, ut habetur Act. 8. Philippus baptizavit Eunuchum Candacis regina Æthiopum. Super istum locum videntur in colle satis alto, ruinae SICHELCH civitatis, quam ACHIS Rex dedit Davidi ad se profugo inhabitandam 1. Reg. 27. Dein pervenimus ad Olivetum quoddam, supra quod ad dextram vidimus BEZECH villam, olim castellum, ubi vina nascebantur in eâ regione præcipua. In hoc loco, ut habetur Jud. 1. Jehuda Dux filiorum Israël, occidit decem virorum millia, & comprahendit Regem Adonibezech, casis summitatibus manuum ejus atque pedum: qui ADONIBEZECH habebat sub mensâ suâ Reges septuaginta, quibus manuum ac pedum amputaverat summitates, colligebantque sub mensâ ejus micæ atque ciborum reliquias.

Post hac quia Sol declinaverat, cursu Bethlehem prope-
ramus, quam nocte tenebrescente attigimus: pernoctantes cum, dictis supra, Minoritis. Quæ civitas olim David, hodie permodicus est viculus, sexto ab Hierosolymis milliari, contra meridionalem plagam, juxta viam quæ ducit Hebron. Situs ejus est in monte alto sed angusto, cujus longitudo ab Oriente in occasum porrigitur, introitum habens ab occidente. Hac prius Effrata dicta est, sed post hoc ob frugum exuberantiam Bethlehem.

Bethlehem, id est, domus panis, dicta est, secundum verò Sara- Nomen.
cena lingua proprietatem Bethlehem dicitur quasi domus car-
nus Beth namque domus, Lahem caro, apud eos dicitur. nec
incongruè: quia ibi VERBVM CARO FACTVM EST.
Hinc die ultima Novembris Hierosolymam redimus.

CAPVT XI.

Adscensus Quarentanæ, montis. Iericho. ejus
 fructus, situs, tractus.

DI^B Decembris primâ mansimus in monasterio, necessaria
 quadâ nobis disponentes. Postero verò die duabus ante So-
 lis exortum horis consurgentes, perreximus versùs Jordanem.
 Ductor nobis & protector erat quidam juvenis Saracenicus
 eques, cum servo unò. Venimus ergò primùm Bethaniam, quam Bethania.
 prætergressi, ad fontem quēdam appulimus, Solis nuncupatum. Fons Solis.
 Ibi mulis adaquatis processimus itinere octo miliarium, & ve-
 nimus ad ruinas Adomyn, qua erat sita in confinio Juda & Ruinae Ado-
 Benjamin. Post ad fontem Helisai cibis refecti, deligatisque myn, Fons Heli-
 ad arbusa mulis, Montem adscendimus **QVARENTANAM**. sai.
 Calebat verò tunc Phœbus vehementer, nobisq; adscensu præ- Quarenta-
 cipiti laborantibus augebat laborem. Fiebat nempe ut super na. mons.
 lapides minutos temerè hinc inde jacentes reptando, sapenu- Difficultas
 merò unâ cum congerie lapidum longius delaberemur. In qui- adscensûs,
 bus casibus frequentibus rara corporis pars lapidum scabriciem
 evitabat. Sed quia nobis fœdum videbatur in monte isto suc-
 cumbere, qui priùs Horeb & Sinai longè isto & altiores & dif-
 ficiliores superavimus: animo confortati, brevi ad montis me-
 dium pervenimus. Abhinc quoniam reliquus mons & diffici-
 lior & periculosior videbatur, comites nostri 16. Monachi, à no-
 bis defecerunt. Adhaferunt nobis robustiores tres, reliqui ad mu-
 las redeuntes regressum nostrum præstolabantur. Nostrum ita-
 que sex, cum labore & difficultate magnâ, adiutore **D** B o
 tandem in summum montis cacumen evasimus, atque ibi fri-

gidiusculâ afflati aurâ, recreati atque confortati sumus. Tra-
dunt in hoc monte jejunasse & tentatum à Sathanâ SALV A-
TORUM. Vidimus ex hoc ruinas plurium civitatum & loco-
rum: videlicet GALGALA versus Orientem, ubi filii Jfrael
transmisso Jordane castra habuerunt & circumcisi sunt. Jos. s.
Hay. Vidimus & ruinas HAY & BETHËL & aliarum civitatum.
Bethel. Rursus de monte illo QVARENTANA difficulter descenden-
tes imò cadentes, vénimus ad comitatum nostrum, sumtâque
refectione profecti sumus versus FERICHO, per dumeta di-
versis arborum generibus condensa: quarum quaedam matu-
ris fructibus onusta erant, quos cum quidam nostrum pulcri-
tudine allekti, carpentes aperuissent, nihil in eis nisi vacuum
Monstrofi
fructus Ie-
richo,
cinerem, favillamque quandam vaporosam reperiunt. Vidi-
mus ibidem magnam quandam naturâ in se contrarietatem.
Nempè maturos arbores quaedam gèrebant fructus, quaedam
florere incipiebant, nonnulla decussis floribus gemmata fru-
ctuum baccas gestantes ad maturitatem adspirabant: sub ar-
boribus per totum illud nemus fons Helisai leniter immurmurans, & aura temperamentum, & terrâ crescentibus praebebat
Fons Heli-
sai,
nutrimentum. Post hoc brevi vénimus FERICHO ibique in do-
Domus Za-
chzi,
mum ZACHEI recepti, pernoctavimus. Et hac sola domus ex
tantâ olim urbe reliqua est, lapide secto in quadrum exstructa,
habens in singulis angulis singulas turre, sed modicas: ipsa to-
ta, quanta est, sine tecto, Solem imbrémque recipit. Hanc cir-
Tuguria in
Iericho,
cum sunt ferè 12. tuguriola, sitamen ea hoc nomine dicere
conveniat. Nihil enim in eis adificiorum apparet, nisi quòd
sunt sepibus altis & spinosis obsepta, habentia intus spaci-
um amplum pro pecorum statione & reclusionem. In medio verò
habent tentoria, in quibus homines cum supellektili Solem de-
clinant imbrésque. Porro FERICHO in medio magna vallis
versus mare mortuum sita, à JOSVE primùm subversa, pro
quâ extruxit aliam OZA de Bethel, ex tribu Effraim, quam
Salvator suâ predicatione illustravit. Sed & hac eo tempore,
quo Hierosolyma oppugnabatur à Romanis, propter civium per-
fidiam

fidiam capta atque excisa est. Pro quâ & tertia adificata est, quæ etiam hodie omninò eradicata, aded ut vix ejus aliqua supersint vestigia. Sita verò erat in planicie campi, qui inter montes à Septentrione ad meridiem vergens à mari mortuo excipitur. Habet autem campus iste, ut testatur Josephus de Bello Judaico lib. v. cap. viii. longitudinem 230. stadiorum, latitudinem verò centum: mediùsque à Jordane dividitur: optimos olim paradyfos ac densissimos producens, palmarùmque genera, tam nominibus quàm sapore & usu varia, quæ calcibus pressa, plurimùm emittunt mellis, non multùm aliomelle vilius, quanquam & mellis altrix erat illa regio, & opobalsami quondam ferax, qui omnium preciosissimus & carissimus erat fructus, cujus fructus palmetum CLEOPATRA Egypti Regina, potentia ac favore freta Antonii, in contemptum magni Herodis transplantat in CATRYM. Hanc regionem idem Josephus tantis effert laudibus, ut dicere non vereatur, cum qui tractum istum divinum dixerit, non errare, cum ibi largè & optimè nascerentur, ea quæ optima sunt. Sed nec in aliis fructibus ei aliqua facile toto orbe certaverit regio, aded cum fœnore, quod satum fuerit, reddit. Et tanta est cæli ejus temperies, ut quo tempore in alia Judæa ningit, lino tamen illic indigenæ vestiantur. Distat ab Hierosolymis stadiis 170. ab Jordane autem 60. Totùmque habet ad Hierosolymam spaciū desertum atque saxosum. Ad Jordanem verò & laticum Asphaltiden, id est, mortuum mare, humilius licet, aquè tamen incultum ac sterile. Hæc de Jericho & ejus tractu,

Longitudo
& latitudo
campi Ierichun tini.
Fructus le-
richo.

Cleopatra
balsamum
transplan-
tat,

Terræ Ieri-
cho nobili-
tas,

CAPVT XII.

Vestigia pœnæ Sodomorum. mare mortuum. Segor civitas. Statua Salis. Locus baptizati CHRISTI. IORDANVS.

DIE 3. secuti ductorem nostrum ad mare mortuum perreximus. Inter eundem vidimus plagam illam horrendam,
quam

Terra Sodomorum.

quam divina severitas in Sodomitas exercuerat. Terra in circuitu puteis quibusdam plena, tota cineri noviter elato similima, nihil ferè viride gignit, sed tota exusta fulminibus conflasse animadvertitur. Et licet cinerei sit coloris, sæpe tamen adustione quâdam nigrâ conspergitur. Habet hiatus quosdam crebros & fissuras, in quas mula nostra crebrius impingentes, nosq; proinde in terram excutientes, praebebant nobis nunc corridendi nunc compatiendi materiam. Pluebat verò tunc jugiter, quo fiebat, ut terra inante fungosa & mollis, ubi quis desuper cecidisset, leviter cadenti cedebat, eumque superius operiens, subtus tenacitate suâ constringebat, ac veluti gremio complexa, agrè se erigere patiebatur. Brevis post ad mare mortuum devenimus. Ibi mulis ad rubeta colligatis ipsi processimus in littus. Ibi odor teterrimus, facies tristis ac quasi tarsarea, littus arundinibus putridisque arboribus plenum, sapor aqua & salissimus, & fellea quasi amaritudine stipiticus, tristem nobis illam ac horrendam DEI justiciam, oculis ingerebant.

Mare mortuum.

Fœtor ora,

Latiorem verò ejus lacus prospectum nimbis & vapida auferebant nebula. Qui plura de hoc mari sive lacu Asphaltide habet cognoscere, Josephum legat lib. 1. de bello Judaico, cap. 8. Strabonem item lib. 16. Geographia.

Segor civitas.

Ad dexteram maris mortui est civitas SEGOR desolata ut & cetera ferè omnia, quâ pro precatus est Loth, Gen. 19 eamq; ingressus Sole super terram egresso, ibi legitur. Sub hoc opido ferè itinere medio, videtur usq; hodie statua illa Salis, in quam uxorem Loth cõversam, fidem Jehova minis non adhibentem, testatur Moyses dicto loco.

Statua salis.

Locus baptizati CHRISTI.

Dehinc pratergressi ruinas Monasterii S. Hieronymi, ubi vixisse aliquandiu hunc Doctorem tradunt, ad IORDANIS venimus fluentia, adq; locum ubi baptizatus à Iohanne traditur Salvator mundi, estq; hic locus contiguus passui quem filii Israël sicco transierunt pede: trajicientes autem bibimus ex eo faciem, manus, caput pedesq; exinde & conspergentes, & in vasculo

vasculo nobiscum in patriam usque sine omni corruptione transferentes. Hic fluuius inter cetera sua praconia Iudaeos olim fideles à ceteris infidelibus determinabat, & multos circumcitus juxta Jericho in mare mortuum influit & ibi absorbetur. De origine ejus communis habet opinio, nasci cum sub monte Libano, ex fontibus duobus quorum unus Jor, alter Dan, vocitetur. Aliter meminit Josephus de bello Jud. lib. 3. cap. 30. quem, si lubet, consule. Miraculus clarus est, Lepram enim Naaman Syri abluit: Ferrum in profundum abire prohibuit: testimonium sanctitatis & vocationis divinae Heliae & Heliæ Prophetis prauit. Inprimis clarus patefactione clarissimæ sacrosanctæ & individuae Trinitatis in Baptismo CHRISTI, Luca 3. Et tantum de JORDANE.

Aqua Iordani non corrumpitur.

Origo Iordani,

CAPVT XII.

Tertiò & sæpius templum intrant. Comprensi grassatores & cæsi à domino Hierosolymæ. Natalitias in Bethlehem celebrant. Sectarum tum ibi ritus: suorumq; baptizatio.

INTERIM verò uenit tempus templum Dominici sepulcri tertiò intrandi. Reuersi ideo Hierosolymam adimus ABRAHIM, jus nostrum exostulantes, dederamus quippe hanc lege viginti seraphos. Negat ille ac diem differt. Quo ueniente rursum dilationem nequit. Nos illius nequitia impatientes, accusationem ei apud Dominum Hierosolyma intentamus. Quâ auditâ per caput suum more gentis jurat: ne momentum quidem amplius se dilaturum, si seraphum tantum unum ei donaremus. Damus, atque ita tertiò intramus. Nec non post quartò atque quintò, præter consuetudinem peregrinorum, non plus pro capite singulo quam tres Maydinos donantes ABRAHIM.

Nequitia Abraham.

Precium Maydini nobis ferè quatuor crucigeri.

Quod inde accidit, venerat negociator quidam Italus ex Damasco invisere eadem loca, quem jam sufficienti emunxerant summulâ, cum illo prosequimur bis ad fores, bis datis dictis

N

dena-

denariis per rabulas intromittimur. Lustramus omnia & singula prius loca dicta simulque nos ad abitum intra istud octiduū preparantes. Jam enim conduxeramus Mucrelum, qui nos nostraque curaret DAMASCVM, sed quia Muli ejus missi BARVTHVM nondum redierant, expectando aliquot trivimus dies.

Comprensi grassatores. *Quorum vigesimo Decembris, dominus HIEROSOLYMAE, qui illic SOLDANI vices gerit, comprahensis 28. grassatoribus, qui regionem illam latrocinis infestaverant, Hierosolymam triumphabundus intrat, grassatorum capita infixā hastis longissimis pra se ferri faciens.*

Emahus. *Die 21. perreximus in EMAHV s duce quodam Saraceno, prater rudera, & antra vespertilionibus plena, nihil memoratu dignum videntes.*

Reditus in Bethlechem. *Mulis BARVTHI morantibus profecti sumus die vigesima quarta, qua erat vigilia Natalis DOMINI, comitibus toto Adonachorum numero, in Bethlechem, ibique in criptā Nativitatis DOMINI, devotis Fratrum vespers interfuimus, gratias agentes DOMINO, qui suā nativitate nos de diabolicā liberavit potestate. Interim in superiori templi parte attollitur mirabilis, dissonus ac tumultuosus clamor, sonitus, clangor, cantus & ululatus, fiebat id à Gracis, Surianis, Georgitis, Armenis, Indianis, & à reliquis Orientalium Christianorum sectis, enumeratis supra. Qualibet suo more natio DEVVM laudat, cantibus perstrepat, tubis & sistris intonat, adorat thure, unguentis, aromatibusque odoriferis: perungit loca sacra, contrectat, deosculatur. Adhac mulierum chorus à viris segregatus ad sonitum timpani choraas agit, per totum Templum sinuosos orbes cum plausu manuūque jubilo, facit, totoque corporis annisu mentisque tripudiat. Erant inter fœminas quaedam cultu & formā aliis prestantiores: iste timpana digitis arte quādam quatientes, reducebant nobis in memoriam MIRIAM Aaronis sororem Exod. 15. ejusq; cum filiabus Israël, submerso Phaaronē, acta.*

Ritum diversitas.

Fœminæ.

Porro

Porro ipso die NATALIS DOMINI, vidimus ibidem Græcos
 & Surianos baptizantes suos pueros, non ut apud nos fieri solet
 recens natos, sed jam grandiusculos, & ferè anniculos atque
 bimulos: festo tempori usque reservatos. Sumtâ dehinc refe-
 ctione Hierosolymam revertimur. In quâ, quandoquidem, ab
 initio ingressûs numerando, ultra mensem integrum morati
 simus, crebrius ejus situm lustraverimus, omnia diligenter per-
 contati prece & precio simus, adhuc & lectione inibi aliquid
 addidicerimus, idq; pluviis plarumque diebus, Canobii Biblio-
 thecam perlustrantes, non absolum fuerit, de urbis situ, facie,
 fortunâ variâ, pauca subnectere.

Baptismus
Græcorum,

Parascève
ad futuram
descriptio-
nem Hiero-
solymæ,

CAPVT XIV.

Historica Hierosolymæ Templique inibi descriptio.

HIEROSOLYMA itaque urbium Orientis longè clarissi-
 ma, de quâ tam gloriosa inscripturis dicuntur. Judæorum
 Metropolis, ut vult Josephus de bello Judaico lib. 7. cap. 26.
 primum conditorem habuit Chananaorum potentissimum, qui
 patriâ linguâ REX IVSTVS appellatus est. Et erat quidem ta-
 lis, qui etiam MELCHISEDECH, Sacerdos DEI altissimi di-
 cebatur. Hic sacerdotium DEO primus exhibuit, & adificatio
 fanoprimum SOLYMA civitatem vocat. cum antea Jebus,
 postea Salem, deinde Jerusalem. hinc Hierosolyma. aliquan-
 do Bethel & Luza, demum Helia nominaretur.

Conditor
Hierosoly-
mæ,

Inde isti versûs:

Solyma, Luza, Bethel, Hiêrosolyma, Jebus, Helia,
 Vrbs sacra Ierusalem dicitur, atque Salem.

Nomina ci-
vitatatis san-
ctæ.

Quæ civitas Chananaorum, usque ad tempora Regis DAVID,
 habitatio fuit, annis quingentis quindecim. Ejus urbis situs ac
 munitio petrosa, trino circumdata muro erat: nisi quâ vallibus
 in vitiis cingebatur, ex eâ namque parte unius muri ambitum
 habebat. Hac urbs, ut veraciter meminit Strabo, interiorius

Munitio
urbis,

N a aquio

- Fossa.** *aquis abundans, exterius verò omninò siccam habebat fossam, in lapide excisam, quadraginta pedum profunditate, latitudine ducentorum quinquaginta. Et ipsa quidem supra duos colles erat condita, contrariis frontibus semet adspiciens, interveniente valle discretos. (Vallis in Scripturâ sacrâ vorago dicitur, circa quam explendam multum laborare Reges Juda.) Collium alter, quo superior civitas, & multò est excelsior, & in prolixitate directior, CASTELLUM DAVID dicebatur: Alter autem, qui inferiorem sustinebat civitatem, undique declivis est, & usque ad Siloam fontem pertingit. Trium verò murorum vetustissimus quidem, propter valles, imminetumque his desuper collem, in quo erat conditus, capi facile non poterat. Ad hoc autem, quod loco praestabat, firmissimè erat structus, David & Salomonis aliorumque Regum largissimis impensis operi sumptibus. Omne autem civitatis in gyro spacium stadiis 33. finiebatur.*
- Turris Prephinos.** *Et si autem in toto admirabilis esset tertius murus, admirabilior tamen erat, ob excellentiam TURRIS PREPHINOS dictæ. Ex eâ namque per septuaginta cubitos edita, Sole exorto Arabia prospici poterat, & usque ad mare, itemque ad ultimos Hebraorum fines. Erat autem octangularis. Contra eam verò turris YPICOS, & juxta dua, quas Rex HERODES in antiquo muro adificaverat, quæq; magnitudine, pulcritudine ac firmitate, universis quæ toto essent orbe, praestabant. Mirabilis autem fuit lapidum magnitudo. Nec enim ex vulgariibus saxis, aut quæ ferre potuissent homines, verum secto marmore candido, & singulis per viginti cubitos longis, latisque per decem ac per quinque, altè erant adificata, quæ inter se ita erant copulata, ut singula turres singula saxa viderentur. Sic autem manibus artificum in faciem angulosque formata sunt, ut nusquam appareret junctura compaginis. His autem*
- Lapidum, ex quibus turres, præstantia.** *in Septentrionali parte positis, intus aula regia, narratione omni præstantior, conjungebatur. Nec enim vel magnificentiâ, vel operis structurâ, aliquâ ex parte superabatur, sed &*
- Aula regia.** *tota*

tota muro per triginta cubitos edito cincta erat, ambituque aquali turribus ornatissimis ambiebatur, itémque virorum receptaculis, & cœnaculis centum lectorum capacibus, in eâ. Inenarrabilis autem fuit saxorum varietas, collectis ibi plurimis, qua ubique rara esse videbantur terrarum. Sed enim neque pro merito exponi potest, qualis hac regia fuerit. Habet memoria cruciatum, referens quantas res latrocinialis absumserit flamma, Nec enim hac à ROMANIS incensa sunt, sed ab insidiatoribus intestinis.

Incensa
regia.

Porro de TEMPLI magnificentia ac splendore incredibile nihil unquam pro dignitate referri potest: cum ipsum ex saxis quadragenûm cubitorum longitudinis: latitudinis sex aut septem constructum: triplici muro cinctum: porticibus auro aut argento tectis adornatum, nihil quod non animus aut oculi mirari, imò stupere debebant, habebat.

Templi magnificencia.

Sed neque antiquitas, neque divitiâ ingentes, neque per totum orbem terra diffusa natio, nec magna religionis gloria, quidquam minuit, quò minùs periret. Tanta, ut summam complectar, amplitudinis & magnificentia quondam erat, ut, cum eâ captâ, victores gentium ROMANI, & praeceteris TITVS Imperator, ingressus & alia, & civitatis munitiones, turresque, quas dementissimè deseruerant victi, conspecta denique solida earum altitudine itémque magnitudine, subtilique lapidum singulorû compagine, DEO, inquit, planè adjuvante pugnavimus: & DEVS ERAT QVID ET TRAXIT AB ISTIS MUNIMENTIS IYDAEOS:

Titi admiratio munitionis & splendoris Hierosolymæ.

Namque hominum manûs & machinæ quid ad ista valerent?

Ceterum hac nobilissima civitas sæpenumerò variis temporibus capta, ac propter incolarum impietatem, idolatriam aq̃, JEHOVA suo apostasian, vastata. PRIMÒ per NABUCHODONOSOR Regem Babylonis, qui turres & muros ejus evertit, templum incendit, ac vasa ejus abstulit. SECUNDÒ ab Egyptiorum quodam Rege ASOCHEO seu ASOBIO.

Obsidiones & eversiones Hierosolymæ.

I.
Vide Phil. Melanth. li. 2. Chron. II,

- III. TERTIO ab ANTIOCHO EPIPHANE, qui eam proditione cepit, sanctum locum spoliavit, Judaeos à patriis legibus desciscere jussit, & templum, non templum DOMINI, sed Jovis Olympii cognominari jussit. QUARTO à POMPEIO MAGNO, qui eam cum reliqua Iudaea fecit tributariam. Et ut refert Strabo, Pompejus eam cepit observato jejunii die, dum ab omni opere Iudaei abstinere: impleta fossa & ad motus scalis, jussit q̃ mania omnia convelli. Nihil tamen, ut ait Iosephus lib. 1. cap. 16. de sacris templi opibus sive instrumentis attigit. QUINTO, dum Herodes & Sosius captum opidum servaverunt. SEXTO ad extremum funditus evertitur, secundo anno principatus VESPASIANI, die 8. mensis Septembris, à TITO ejus filio urbs capta, ac templum subversum est. Quam cum cepisset, jussit totum quod erat usque ad muros spacium, complanare, adeo ut qui ad eam accessisset, aliquando habitam vix crederet: cunctis enim maceris ac sepibus dirutis, quibus hortos ac locos incolae prae munierant, omnisque opposita quamvis mansucta sylva, excisa, repletum est quidquid erat vacuum & vallibus impeditum: saxorum autem eminentissimis ferro truncatis, humiliorem totum illum tractum fecerunt. Attonsis praeterea omnibus ad nonaginta usque stadia circa Ierusalem locis, erat miserabilis terra facies. Nam quae antea arboribus & paradysis ornata fuerat, ea tunc deserta, praecisis undique nemoribus cernebatur. Nec ullus qui pridem Iudaeam viderat alienigena, & suburbana pulcherrima civitatis, cum ejus solitudinem tunc videret, continere lacrimas poterat, vel non gemere flebilem mutationem. Cladis dira una causa: quod obstinati reprobique NOLVERUNT TEMPUS VISITATIONIS AGNOSCERE. Ceterum qui ipsam vastationem, hominum stragem, famis miseriam, & reliqua horrenda latius scire desiderat, legat Iosephum, non audita, sed & visa & communia sibi cum ceteris Iudaeis, referentem.

Ultima destructio & defolatio.

Ejus causa.

Post hoc excidium, urbis reliqua Sicariorum & Latronum receptaculum erant, ad tempus usque Hadriani, qui eam manibus.

mœnibus ac ædificiis instaurans de nomine suo Heliam appellat. Et ut scribit D. Hieronymus ad Paulinam: ab HADRIANI temporibus usque ad imperium CONSTANTINI per annos fere 180. in loco Resurrectionis, simulacrum Iovis: in Crucis rupe, statua Veneris ex marmore à gentilibus posita, colebatur: astimantibus profanis, quòd tollerent nobis fidem resurrectionis & crucis, si hac loca per idola sua profanassent.

Instauratio Hierosolymæ.

Prophanatio Romanorum.

Porrò qualis tum urbis & terra facies erat, cum excisa solo complanaretur, talis & hodie, & fortè tristior ac miserabilior videtur, ruinis denuò omnia occupantibus. Adèd, ut qua olim terra lactis & mellis præubertate dicta est, ea hodie terra tribulorum, spinarum ac desolationis meritò dici possit. Hanc tamen MAJORES nostriper CAROLVM MAGNVm multo labore quaesitam diu possederunt, ac per GOTHOFREDVM recuperatam cum magna gloria annis 88. obtinuerunt, ac rursum per SALAHADINVM Egypti Regem ademptam, cum ingenti & damno & dedecore amiserunt, atque eam ita ignominiosè in manibus infidelium haberi patiuntur. O torpor! ô mores! Inter nos continuis seditionibus digladiamur, strenui ac sanguinarii in domesticos: in hostes DEI & vera Ecclesia ignavissimi.

Hodierna facies.

Recuperatio per Christianos.

Vide Reinerum Reineccium peculiari de bello sacro Historiâ, in 4. Helmstädtii.

Peucrum item lib. 4. Chron. Situs hodiernæ Hierosolymæ. Mons Sion.

At verò situs exterior interiorque HIEROSOLYMÆ nostro ævo talis est. Est forma penè triangularis: Ab Oriente templum Salomonis, à Septentrione verò templum sepulcri Domini murorum complectitur ambitu. Ab Austro autem, licet exera mœnia, ædificiis tamen interruptis montem Sion conjunctum habet. A quo quoniam reliqua civitas humilior olim sutaretur, Filia Sion in sacris historiis nominatur. Sub monte Sion, vallis Ennon subsidet, ubi regii erant horti, ubi etiam filii Israël idolatrantes habebant lucos, ibique circumducebant filios suos per ignem, immolantes Idolis. In opposito colle ad austrum est ager Acheldamach. Inter Orientem & Meridiem è regione montis Sion, est mons altus, tamen angustus, qui mons offensionis dicitur, eò quòd ibi Salomon in complacentiam uxorum suarum edificavit fanum Chamos idolo Moab, & Moloch,

Filia Sion. Vallis Ennon.

Ager Akeldama.

Mons offensionis,

idolo


Vallis Iosaphat.

Cedrona.
Ennon.
Mons Oliveti,

Murorum
rudera.

idolo filiorum Ammon, in quo DEVM graviter offendit. 3. Regum 11. Sub templo Salomonis est vallis Iosaphat, inter ipsum & montem Oliveti media, qua à Septentrione vergens à valle Cedrona excipitur, hac verò ipsa in vallem Ennon desinit: valles ipsa profunda nimis & precipites sunt. Oliveti mons templo Salomonis ad Orientem oppositus est, superatque sublimitate sua longè Hierosolymam. Muri triplicis, fossæque quondam patentis ac profunda, quibus cingebatur reliqua civitatis pars, hodie ingentia rudera ac stupenda cernuntur ruina. Hac de Civitatis sanctæ prisco & moderno statu. Finiam librum secundum hoc Iosephi omine, libro de bello Iudaico sexto: capite ultimo: Puto si ROMANI contra noxios venire tardassent, aut hiatu terra devorandam fuisse civitatem, aut diluvio perituram, aut fulgura passuram Sodomitica de cælis &c.

FINIS LIBRI SECUNDI.



MARTI-



MARTINI à BAVM GARTEN

DIARIIPEREGRIN- NATORII

LIBER TERTIVS.

Peregrinationem enarrans in SYRIÆ oram,
& abindè mari per Græciam reditum
Venetias.

C A P V T I.

Hierosolymis discessus. Mulionum dissensio. periculum à
latronibus ad Iordanis fluentia.

DIE XXVIII. DECEMBERIS, MVLI DIV
multumque expectati, BARVTHO tandem redi-
re. valde dicimus proinde Guardiano & fratribus, ac
circa meridiem supellectili & comœatu impositis,
mulos conscendimus. Exeuntes itaq; Hierosolymam, per portam
judiciariam profecti sumus ad Septentrionalem urbis plagam,
per colles vallésque scabrosas ac precipites. Circa vesp̄eram ad
vicum quendam ruinis magnis plenum devenimus; (HAY Hay.
fuit, opidum olim, quod JOSVE expugnauit, Jos. 8.) videbatur
ex isto loco vallis Jerichuntina, mare mortuum, Galgala, mons,
Quarentana, ac multa alia versus Orientem loca. In isto vico
O intran-

intrantes quoddam grande sed inane diversorium, plures illic nostri itineris comites confluisse reperimus.

Mulionum
dissensio de
eligendâ
viâ.

Convallis
Iordanis.

Die 29. circa Meridiem cum inde essemus digressuri dissensio inter muliones nostros oborta est, his quidem hâc viâ, aliis aliâ proficisci contendentibus, quâ ex re factum, ut paucos admodum nobiscum retineremus comites. Progreßi ergo inde per molestam vallium colliumq; vicissitudinem, circa vesperam descēdimus in vallem illam grandem, quam mediam Jordanis intersecat. Atque illic in convalle quâdam, donec Sol totus occumberet, unâ cum mulis delitimus: suspectam habentes Regionem illam propter latrocinia. Post ubi noctis increbuisse tenebra, surreximus inde cum silentio, & neque loqui neque exscreare permisi, cum trepidatione & formidine magnâ per vallem illam versus Septentrionem processimus. At ubi jam prope ipsa Jordanis fluentia venissemus, tum nos ingens periculi invasit terror.

Periculum
à latroni-
bus.

*Erat quippe littus utrumque grassatoribus plenum: id quod ex crebris ignibus haud dubiè conjiciebamus. Ideoque nec com-
modè regredi, nec procedere audebamus. Diutius itaque inter nos quid factò sit opus consultant, demùm divina nos com-
misimus protectioni piis precibus, tentantes si quo modo angustias illas evadere possemus. Verùm ubi jam periculum illud nos
superasse putaremus, continuò incidimus in vigiles latronum,
qui quoniam pueri erant, & à suis aliquantum semoti, adhac
fortè primùm somno & terrore oppressi, donec eos pertransire-
mus, siluerunt. Tum verò clamor ingens exortus, his quidem
signum dantibus, illis verò respondētibus, ac se mutuo cohortan-
tibus, nos actum esse de nobis credidimus. Despectentes itaque
à proposito itinere, montem proximum ad lavam conscendimus
rapide, ibi nos vel occultare, vel si res tulisset, concertare pa-
rantes. Interim verò illis se adunantibus & præ strepitu equo-
rum suorum & tenebris fugam nostram non audientibus,
montem quendam superamus, ac deinde in subjacentem con-
vallem descendentes, totâ nos ibi nocte in silentio continuimus:*
ordina-

ordinatis prius in superioribus montis exploratoribus & custodibus, ipsorum locorum gnaris & exercitatis, qui omnia conspicerent & de discrimine nos monerent.

CAPUT II.

Exaetio ad Iordanem Arabum & ab his discrimen. Regio Gad & Ruben. Christianorum Græcorum paganus ad cultus divinos conventus.

DE 30. *illucescente exploratores nostri reversi referunt latrones nusquam apparere. Adducunt insuper Arabem quemdam, loci illius indigenam, qui accepto à nobis precio ad Iordanem noster erat dux. Hoc comite ad vada fluminis devenimus.*

Arabs dux
ad vada Iordanis.

Ibi Arabum ingens turba, pars in littore alio consistentes, pars nuda in flumen medium currentes, strictis gladiis, vibratis hastis, tensis arcubus, transitum nobis prohibebant. Nos per Ductorem nostrum cum eis agentes obtinuimus amnis transitum, datis prius pro singulo capite tribus Maydinis. Jordanis nempe tum defluerat, & utramque ripam multum nudaverat. Lento ergo gradu transvadantes, manus, pedes, caputq; ex eo conspersimus, ac in vasis nostris in potum sumimus. Transmisso Jordane, venimus in campos feracissimos, alto & herbofo gramine refertos. Ibi Arabes dato precio non contenti, nos nihil tale suspicantes retrò adoriuntur: pleròsque nostrum qui primi occurrerant (dictos prius cum his duos Franciscanos) extra ordinem abducunt. Hoc viso Muliones nostri, plus mulorum quam hominum tacti in periculo, simul conglobati accurrunt, rem seriò agunt, arcus proferunt, sagittas vibrantium more aptant. Hi tensos arcus & noxia tela timentes, recurrunt ad suos. Nos procedimus; atque, cum mulorum onere, inermis gens: ponè, quibus arma erant, sequimur tutaturinos & nostra ab Arabum incursu. Venerat quippe illud Arabum latrocinantium vulgus non ad bellandum, sed magis ad pradandum, idèoque pauci admodum habebant arma:

Exaetio Arabum prædonum.

Ab iisdem discrimen.

Regio Gad
& Ruben.

& gens est, rem serio agi persentiens, pusillanimis. Tali pacto & fugiendo & resistendo ex eorum manibus elapsi, montana quadam altissima conscendimus. Transivimus dein montem quendam longum, olivetis, vineis, fruge ac fructiferis plenum arboribus. Vidimus etiam ibi castella quadam in tumulis sita & pagos. Haecq; est regio, qua, ut habetur Josue 13. sorte data est tribui GAD & RUBEN & dimidia tribui MANASSE. Estq; terra etiam hodie ad pecorum pastum aptissima, & si cultores haberet, omnigenum fructuum ferax. Diem illum cum sequentis parte noctis equitando consumentes, tandem ad pagum quendam delati in Mulionis nostri tugurium recipimur.

Conventus
Christianorum
Graecorum.

Eorundem
donaria.

Die 31. annique ultimo ibidem repautes, ducti sumus per Mulionem nostrum (qui etiam se Christianum dicebat) in quendam specum, solidâ excisum rupe, ubi Christiani pagi illius incola colligebantur, ibique officia more Graecanico celebrare consueverant. Et quia dies ille erat vigilia Circumcisionis DOMINI, adsuimus ibi vespere eorum. Quibus peractis, dum singulis coctum triticum panesque distribuerentur, nobis quoque singulis sua pars est donata: quam, ne eos contemnere videremur cum malâ nostrâ gratiâ, accepimus deosculantes, & videntibus, imò observantibus illis cum curâ, comedimus.

C A P V T I I I.

Habitaculorum in istis locis tenuitas. Carabena Galilæa.
Lacus Maron. Leonum lustra ad hunc.

Dura per-
noctatio,

EXORTA Circumcisionis luce oritur nobis Annus CHRISTI 1508. Ob solemnitatem illo die è tugurio nostro nusquam ferimus pedem. Alterâ verò luce aucti novo comitum numero, profecti inde, venimus ad casale quoddam, ubi alios itineris nostri reperientes comites, ibidem pernoctavimus, inter camelos, vaccas & mulos, adeò strictè, ut vix sedendi nedum corpus extendendi spaciū haberemus. Sed fatigatum corpus non curat de amplis delicatisque locis.

Die

Die 3. *Januarii descendentes de illis montanis, venimus in amplissimam terra planiciem, arboribus quidem omninò nudam, sed frugiferam. Terra illa pinguis est, subrusa, sed pro sui capacitate colonis & culturâ egens. Illic ad viculum quendam delati, die illo & duobus sequentibus ibi mansimus. Nondum enim tanta erat comitiva nostra, ut latrocinii suspectum iter aggredi auderemus. At verò domus regionis illius omnes ferè in foveis exstructæ, intus & de foris lapidibus sine calce aut limo temerè sepiuntur. Et de foris quidem vix apparent, adeò, ut si quis locorum imperitus ad vicum venerit, naturalem putabit lapidum congeriem, non hominum habitaculum, interq; domos domos quaret.*

Miseræ domus.

Die 6. *advenit nobis Carabena, Camelorum numero 70. quæ ex Galilæa frumentum Damascenis ferens, eò properabat. Huic nos juncti inde sustulimus, ac paullo post in diversorium quoddam grande, sed desertum appulimus, ibique aliam Carabenam aquè fortem invenimus latibundi.*

Carabena.

Die 7. *inde digressi praterivimus ad lavam lacum, dictum MARON. Hunc inter Casaream Philippi & mare Galilææ JORDANIS efficit & implet, eo tempore, quo vere novo liquidas cano se monte Libano humor dejecit, & Zephyro putris se gleba resolvit. Idem tamen æstate torridâ totus arefcit. Quamobrem propter humoris exundantiam, arbusæ illic multæ, calamiq; ac spinetæ surgunt, sylvæque efficiunt sonoram, in quâ VRSI, LEONES, ac alia fera, victum simul & latibulum sibi quarunt, atque ita illic venationem regiam esse nobis indicarunt. Ad has aquas, ut habetur Josue 11. convenerat FABIN Rex Hafor cum multis regibus auxiliaribus, quos super irruit JOSVB, & tradidit eos DOMINVS JEHOVA in manus ejus.*

Lacus Maron.

Ferarum lustra.

CAPUT IV.

Damasco lautè habitū. Consulis ibi Venetilaus. Antiquitates Saulinæ. Historia de Florentino negociatore Damasci domino. Civitatis encomion. situs. natura loci. merces. fructūs.

DAMASCVS.

Hospitalitas Venetorum ibi.

Laus Consulis Veneti.

Locus conversi Sauli.

Fenestra missi Pauli.

Aedes Ananiae.

DIE 8. per eandem profecti planiciem tandem nocte jam intenebrescente DAMASCVM venimus, inque VENETORVM divertimus Fonticum, à quibus humanissimè accepti, lautè liberalitèrque in omnibus tractati, ad eò omnibus abundavimus bonis, ac si in patrià effemus. Nam & lectorum molissimā mundiciā, ciborum omnigeno apparatu, loturā pedum capitisque, mutatione vestium, ad eò sumus refocillati, ut nobis ipsis jam non quasi peregrini sed delicati videremur domicelli, post tot squalores, sudores, fames atque incommoditates.

Die 9. intramus in ades Consulis VENETORVM, ibique ab eo & plarisq; nobilibus Venetis honorificè ac humaniter sumus excepti, atque eodem die cum Consule cœnantes, multa ab eo inter loquendum de moribus & sectā MAHOMETISTARVM didicimus. Erat enim Consul ille homo doctus, maturus & regalis, in cujus etiam vultu plurimū inerat auctoritatis.

Die 10. sumtā refectiōe duxerunt nos Nobiles quidam Veneti extra urbem, ad eum locum, ubi, ut habetur Actorum 9. Saylus, dū Damascum pergeret comprehensum Christianos, ab **JESV** in terram prostratus, audiit vocem cœlitus: *Saule Saule quid me persequeris? &c.* In hoc loco erat olim templū nobile, nunc grandis ingentium ruinarum acervus, ubi Christiani Damasceni & Advena sepeliuntur. Reversi per hortos, quibus tota illa urbs & regio amēnissimè abundat, venimus sub urbis mœnia, monstratāque nobis, per quam Paulus in sportā dimissus à fratribus, fenestra.

Ingressi in urbem lustravimus domum Juda hospitis caci Pauli, ades Anania, in quibus Christiani habitant, ubi & sacellum

cellum subterraneum satis pulcrum. Dum urbis situm ita curiosè lustramus, à Nobilibus Venetis, post & à Damascenis atque domino Consule dignissimo fide, hanc audivimus veram historiam esse:

Fuit quidam negociator FLORENTINUS, admodum sagax & opulentus: qui Damasci exercens mercaturam gratus principi & admodum familiaris effectus frequentabat ejus aulam. Hic quodam die visam principis filiam ardere cepit, & nisi eâ potiat, fatetur principi omnino se mortis incursum periculum. Ille filiam matrimonio habendam daturum se pollicetur, si modò fidem suam abneget. Paret Florentinus, ac caco amore cacus & amens cacam amplectitur fidem, ducit uxorem, optatis potitur amplexibus. Atque eo pacto non solum principi, sed & cunctis aulicis totique civitati gratus redditur admodum, & admirabilis. Post principis Soceris fata, ipse principatum obtinet, cui & vivens strenuè præfuit, & mortuus templo sive, ut Saracenica indiget lingua, donatus est Muskèâ. Hunc ergò Saraceni pro sancto venerantes, tumbamque ejus manibus contrectantes osculantur, exindeque demulcent suas barbas. Hic ipse Florentinus DAMASCVM nunc extantibus muris pro majori parte cinxit & munivit, eisque LEONEM Florentina civitatis Insignium insculpsit. Ante hoc nempe Damascus à Tamberlano Scyta excisa muro inhabitabatur interrupto. Extat tamen & hodie porta quadam perveusta, continens quatuor Evangelistarum informis suis insculptas imagines: qua res eam civitatem Christianos tenuisse, argumento est.

Historia
Florentini.
Mercatoris,

Ritus Sara-
cenorum ad
tumbam
Florentini.

Peucerus
Chron. lib. 5

Porro hac CIVITAS aëris salubritate, aquarum copiâ, soli fertilitate, fructuum omnigenâ exuberantiâ, hortorum amantitate, mercium diversitate, denique & originis vetustate, omnibus SYRIÆ civitatibus præcellit. Eam quippe primus SEM filius Noë fundavit: unde hodie linguâ Saracenorum Damascus SEM appellatur. Sita sub monte ANTILIBANO, campestris: agrum habens naturâ soli sterilem & aridum,

Damasci
Encomion.

Conditor.

Situs.

- Solum. *dum, praterquam ubi Pharphar & Abana fluviioli irrigant supernè fistulis cuniculisque subducti, quorum humor terram reddit fertilissimam, consitionibusque aptissimam, ita ut verè Paradysus dici possit. Inter alios fructus, qui ibi perpetuè copiosè habentur, sunt pruna Damascena, idè sic dicta, vel quòd ibi & copià praeferant & bonitate, vel quòd inde primò in alias orbis partes diffusa sunt.*
- Pruna Damascena.
- Merces Damasci. *In DAMASCO comparavimus, qua & nobiscum in patriam usque detulimus: videlicet, pannos sericos, lignum aloès, uvam passam mira magnitudinis & suavitatis, pruna Damascena, vittas & pileos Saracenicis, scutellàsque Indicas. Estq; identitas nominum AGRI DAMASCENI, illius qui circa urbem, & qui circa Hebron; appellationis causa hujus, latet. Porro Damascus & Hebron septem dierum itinere ab invicem disjunguntur.*
- Ager Damascenus non unus.

C A P V T V.

Cattorum ædes in Damasco. Superstitionis origo. causa. maturatus metu principis ex Damasco abitus.

- DI B I I. cum perambularem civitatem, monstrata est nobis domus quadam ampla, altis septa parietibus, qua plena erat felibus. Cujus rei dum causam perquireremus, hac à viris maturis seriò dicta percepimus. Tradunt olim Mahometem, in hac ipsà civitate agentem, cattum in manicà portare solitum, eum manibus suis demulcere, nutrire, atque in deliciis habere, nec non & auspiciis ejus omnia acta sua ordinare, consueffe. Hunc ergò sequaces Mahometis imitati usque hodie Cattos nutriunt, atque in veneratione quàdam præcipua habent, eis cibum ministrare Elemosyna opus censent: Ac si fortè animal inedià periret, putant eum sub cujus curà animal erat, judicio condemnandum à DEO. Ob hanc causam inveniuntur complures, qui per macella jumentorum exta mendicantes aut coementes, iidem Cattos nutriunt. Verisimile autem est, hanc.
- Domus cattorum in Damasco. Superstitionis origo.
- Ridiculus metus.

hanc superstitionem turpem aliunde emanasse. Scimus enim SYRIAM abòlim per Ægyptios occupari: quibus ex antiquo mos erat diversa animalium portenta pro diis colere. E quorum erant numero, canes, ibides, boves, accipitres, feles sive catti. Rationes Diod. Siculus adsignat lib. 2. quas qui vult legat: potissima inter eas videri potest hac: quòd in bellis, huiusmodi animalium figuris ipsi usi, victoriam essent cõsequuti; vel certè, quòd eorum animantium utilitas aut victui aut defendiculo hominum sit necessaria. Catti ergò cum ad serpentum, murium, glirium, aliorumq; reptilium morsus (qua abundat in Ægypto) plurimùm conferant, pro diis habentur: & ex inolitã illã superstitione etiam hodie ita coli atque nutriri, veritatì consentaneum apprimè videtur. Plurima alia ejus urbis monumenta & inquirere & videre volentibus, obfuit nobis nescio qua sinistra fortuna. Dum nempe à Nobilibus Venetis humaniter tractaremur, & per urbis duceremur insigniora, narratur principi civitatis adesse Christianos quosdam homines magna conditionis. Ille nummorum sitiens Consuli Venetorum denunciât, rogans cur sibi ejuscemodi homines non declarârit, se quippe paratum esse omnigenam eis exhibere humanitatem. CONSUL, oculatus homo, & quorsum tenderet principis animus intelligens, pauperes nos esse homines & Mercatores respondet: verùm pro jure hospitalitatis & veteris noticia ita à se suisque tractari. Interim verò per internuncium nobis mandat, ut quantocyùs occultè inde discedamus: alioquin si Princeps adeundus esset, magnum nobis rei pecuniaria immineret dispendium.

Origo verisimilior.

Causa.

Discrimen à Principe Damasceno.

Quibus compertis die 12. res nostras tumultuosè complicamus, atque horã noctis tertiã Lunã monstrante viam Damasco discedimus. Itaque per abruptos ac invios collium vertices profecti, jam circa diluculum ad casale quoddam applicuimus, ibique Carabenam BARV-
THVM petiturum invenimus.

Discessus ex Damasco.

Carabena,

P

CAPUT

CAPUT VI.

Regio Bakar. Sepulcrum Noë. Castellum Baldach. Historia falforum à Mulierculâ Baldachenorum. mora in pago Bohersee.

Regio Bakar amœna.

Locus fabricatæ arcæ Noë.

Saxum stupendæ magnitudinis. Castellum Baldach.

Ridicula falforum Baldachenorū hystoria.

DI 13. cum aurorâ inde surgentes ivimus per colles nivosos, aquarumq; torrentibus jūgiter sonantes, quibus transmissis vënimus in planiciem quandam grandem & peramœnam, in quâ cum plures rivulos tum verò duos JORDANIS fluvios transvadavimus; Hac planicies hâc tempestate BAKAR dicitur, regio feracissima, in quâ sunt plures editi ac quasi manu facti colles, quibus castella imminēt. Ibi Noë arcam fabricasse asserunt, ostendētes ejus sepulcrum in colle quodam, egregio exstructum opere. Per hanc planiciem postquam versus Orientem ad longum ieris, plura se vetustatis tibi offerent monumenta: qua inter saxum unum magnitudinis ad eò stupenda, ut parturribus aut collibus altis videatur. Juxta quod tres columna, illis quæ in foro S. Marci Venetiis eminent, persimiles. Haud procul abinde est castellum BALDACH, unde fuisse dicitur Baldach ille Suites, de quo in libro Hiob legitur. In hoc castello columnarum ordines mirandi, saxa magnitudinis stupenda, ædificia in sublime porrecta, omnia tamen ruinosa: magnum ibi quiddam & illustre fuisse testantur. Ferunt BALDACHENSES saxum illud ingens, cujus modò facta mentio, adducere volentes, frustra id præ ejus magnitudine sapius attentasse. Tandem nactos mulierem quandam, & pauperie oneratam & prole, quæ se artem scire diceret, quâ saxi illius molem sine omni fatigatione quocūque vellet, adducerent: tantummodò si donec partum ederet, victus sibi præstare vellent solatia. Creduli BALDACHENI necessaria Mulieri præbent abundanter. Ipsa deinde partu soluta cum eis ad saxum illud pergit. Tum morè onera suscipientium se incurvans acclamavit, adeste omnes fortes brachiis, inquit, levate ac mihi illud superimponite: sic enim quò libuerit egregie se-

giè feram. Negantibus illis se idipsum facere posse: respondit, neque ego simul suscipere & portare sola possum. Et quia vafra scemella non loquebatur absurda, data est verbis factisque ejus venia. Delusa turba, mulier in necessitate adjuta, saxum loco suo missum est. Demùm per planiciem illam transversè cundo conscendimus rursus montana, ibique in pagum, BOHERSEE dictum, applicantes, biduum in tugurio Mulionis consumpsimus, tum ob valetudinem adversam, tum ob aëris intemperiem.

Mors in
Bohersee.

CAPVT VII.

Aëris perpeffa inclementia. De Saracenorum jejunio. vitu. superstitionibus. potu. comestione. ritibusque aliis ac moribus virum atque sceminarum.

DI 16. inde circa meridiem moventes, rursus montana altiora conscendimus. Ibi ventus ingens nivésque nobis in faciem fusa, agrè nos mulis sedere patiebantur. Ad hac totum iter nive altâ undique obductum, quia dignosci non potuit, nos diu hinc inde transitum commodum quaritare coëgit. Ubi verò monte illo superato per clivum descendere cepimus, tum pluvia jugis ac gelida, vento vehementi ac rigido commixta, adeò nos afflictos & madidos reddiderat, ut vix camisia nobis remaneret sicca. In tuguriolum itaque quoddam satis commodè ac opportune oblatum fugimus, igniculum fumosum excitamus, calefacimur, vestèsque utcumque exsiccamus. Nocte insequenti complures ad nos veniunt SARACENI, pars ad ignis calorem, pars ad nostrum mulionem sibi notum, visitandum.

Difficultas
inclementi
aëre itinera,

Et quia anno illo mensem Januarium loco Quadragesimæ jejunabant, unusquisque obsonia, prout potuit, insimul conferebat. Morem quippe hunc servant SARACENI jejunantes, ut die quidem omni abstineant cibo, noctem verò, quoniam tum longa est, commessionibus & omnigena incontinetia

Saraceni Januarium jejunant.

Quale jejunium Saracenorum.

Manducan-
di ritus.

Bibendi.

Superstitio-
nes Luna-
ticæ.

Lunare si-
gnum cur
baraceni
usurpent.

Potus Sara-
cenorum.

Barbara
comeſtio.

Amor bar-
barum.
Rafura ca-
pitum.

Tegmen.
Duritia.

Hospitali-
tas barbaræ
gentis.

Piſti panes.

Fefſti dies.
Fœminæ.

mentia dedicent. Manducant non in ſcabellis ſedentes ut nos, ſed in terrâ acclivi poplitibus innixi ſeſſu ſuo orbem faciunt, raptim ac feſtinè vorant. Poſt remotos vel abſumptos cibos, tunc demùm potum ſumunt: ac velut poſt diu neglectam ſit implenoſe vaſe proluunt. Novilunium ſummo obſervant ſtudio. Primam Lunam viſam ſalutant & adorant, curſu ejus & decurſu ſe ſuâque regunt. Ideoq; in domorum, turrium ac foribus templorum ſummitatibusq;, mediam præfigunt Lunam. Vino, non niſi occultiffimè utuntur, uvis tamen veſcuntur, ac melle ex uvis confectò. Solam aquam, & eam puram vulgus bibit, nobiliores & ditiores confectam ac medicatam. Cochlearia in uſu rari habent, dùmque liquidi quippiam edunt, digitis inſimul cavè contractis cochleare efficiunt: atque ita cibo inter digitos per barbam deſluente, ut ſunt barbari, barbarè vorant. Imberbes ac glabros exoſi, barbas numquam amoveniunt. Caput ſolum radunt, atque illud duriore primùm pileolo, poſt multo vittarum contegunt volumine. Squalidi, in veſtes, calopedibus incedunt. A pueris aſſueti, nec frigus magnoperè curant, nec æſtum. Inedia ac laboris patientiſſimi. Majorem vita ſua partem nudis peragunt pedibus, niſi vel frigus intenſum vel via canoſitas intervenit, tunc enim calopedibus utuntur: itinerantes ſolummodò calceos geſtant. Caligas rariſſimi norunt, & eas vix ad media genua protenſas. Plarique ſpiritu flante ferociori pellibus in verſis & vix genua tegentibus veſtiuntur: quarum manica ad eò laxa ſunt, ut urgente frigore ſine omni labore manûs per eas ad nudum pectus compliceant. Hoſpitalitate multùm gaudent, quippe qui ab Advenis precium miniſtrati cibi exigere, ruſticitatis magna loco ducunt. Nam & nos ad cibi communionem ſæpenumero invitati, aſſentientes eis grati fuimus, renuentes verò deſpecti. Panem toties pinſunt, quoties vel ipſi comeſturi ſunt, vel hoſpitibus miniſtraturi. In commeaſſationibus tantummodò ac deſideriis carnis dies feſtos agi debere putant. Eorum fœmina totum corpus ſatis honeſtè contegunt, faciem nigrò quodam ac transparenti panniculo

culo velant: per quem ipsa quidem commodè vident, sed ab aliis vultus eorum non videtur. Labia infuscant: faciem characteribus caruleis inurunt, manûs circulis argenteis ac ferreis pro qualitate fortuna adornant: Labia, nares, aurésque gemmis onerant, digitos qualibuscunque annulis ornantes. Torques insuper pro fortunâ quaque capitibus gestant, quos amiculo in terram usque fluenti candidè operiunt. Hac de SARACENORVM moribus, de eorum pseudoprophetâ MAHOMETE, audita lectâque subjungam.

Ritus eorum & mores.

CAPVT IIX.

Historia de Mahomete. ejus ortu. ingenio. dolosis concionibus. actis. legibus. Alcorano. precandi ritu. jejuniis. peregrinationibus. polygamiâ. politiâ. voluptatum post hanc vitam somniis. blasphemâ arrogantia ejus. de IESV & Maria opiniones. fides in Alcorano expressa. Mors Mahometis. Successor. sepulcrum.

ANNO itaque à nato CHRISTO 606. Sub Bonifacio IV. Papâ, & Phocâ Imperatore Paricida, die 23. Aprilis natus est Mahometes, ex patre quidem Arabe, qui deos gentium coluit, matre verò Ismahelita gentis, religione Hebraâ. Is ergo ex duabus hujusmodi omninò sibi adinvicem adversantibus sectis originem ducens, nulli earum omninò adhesit: sed homo acerrimi callidissimique ingenii inter Christianos conversatus, perniciosissimum humano generi ex duabus hujusmodi gentium legibus conflavit incendium. Namque inter Arabes, apud quos magnum ambiebat honoris locum, publicè concionatus est, non injuriâ COSROEM cum omni familiâ deletum esse, quòd se pro DEO adorari fecisset: homo omnium scelestissimus: qui & ipse idola, sculptiliâque manu facta adorare solitus fuisset. Subsequenter de lege Hebraeorum (quam magnâ ex parte Arabes sectarentur) Christianorumq; traditionibus, ita disputabat, ut unam eandemque esse utramque affirmaret.

Tempus nati Mahometis.

Parentes.

Ingenium.

Conciones Mahometis ad Arabes. Vide Historiam Heraclii, apud Melanthon, Chron, lib. 3

P 3 licet

licet magnis utraque gens abduceretur erroribus. Quos quidem errores ita ipse moderabatur, ut Hebraeos reprehenderes **JESVM CHRISTVM** ex Virgine natum negantes, quod majores sui futurum expectandumque pradixisent. Christianos verò redargueret levitatis, quibus persuasum sit **JESVM**, **DEI** amicissimum & ex Virgine natum, opprobria & crucis demum mortem à Judæis perpesi voluisse. Et suam ipse legem predicans, futurum affirmabat, ut si eam acciperent custodiréntque **SARACENI**, & sibi divino ad id nuncio obsequerentur, sese in libertatem asserant, & principatu regnóque finitimarum gentium potiantur gloriose & fructuose: id quod demum Principum nostrorum ignaviâ cunctationéque heu nimis verum, sitq; indies verius.

Alia de ortu
ejus opinio.

Sunt qui tradunt, cum infirmâ natum conditione, Mulierem prepotētis cujusdam fuisse viduae, quam ipse dolis ac blanditiis irretitam, uxorem tandem duxerit. Cujus postea elatus opibus, majora de se sentire, ac se **DEI** Prophetam Nunciumq; homo stolidissimus dicere propterea ausus fuerit. Inducit enim in **ALCORANO** suo Deum ad se ita loquentem: Tu eras sapiens, attamen disciplinâ educatus. Tu eras in errore, & tamen inde evasisti: Eras pauper, effectus es verò opulentus &c.

Adspiratio
ad imperiũ
& conatũ.

Cum itaque **MAHOMETES** jam ad regnum adspiraret, seductis primùm quibusdam rudibus hominibus: post, prado-num non paucâ conflatâ manu, ausus est etiam Romani imperii turbare fines. Sed ejus motus **HERACLIVS** Imperator citò compescuit, fugato eo, ac turpissimo in faciem inflicto vulnere: id quod contra ejus Prophetiam erat, dicentis: sibi à **DEO** datos decem angelos ad sui custodiam, ne quoquo modo posset ladi. Post hac tamen **SARACENI** & **ARABES** arma sumentes ita **Heraclii** **Duces** superârunt, ut hominem primò felicem, mox infelicissimum reddiderint: Duce **MAHOMETE**, qui cum se magnum **DEI** Prophetam assereret, & magicis artibus **AFRICANOS** & **ASIANOS** deludens: ita populos quosdam cœcitavit, novâ à se religione imbutos, ut paullum abfuerit, quin imperiũ

imperii omninò deleret nomen, captâ Alexandriâ, aliisq; Syria, Ægypti ac Cilicia urbibus.

Usus est præterea ad componendam sectam suam dolo ac astutiâ SERGII nequissimi Monachi, qui cum ob nefaria quædam & intolerabilia scelera monasterio extrusus, ad eum venisset: multa ex lege Moysis & Evangelio astutè colligens, in unum redegit corpus. Et ut seductos populos fortius irretiret, statuit, quòd unus uxores præcipuè ad quaternarium numerum de propriâ cognatione, & concubinas habere posset, quot facultatibus suis alere valeret: emticias quot vellet: quas & vendere & quidquid liberet cum eis agere posset.

Cooperator nequam Mahometi in cudendo Alcorano,

Porrò de ALCORANO suo ita dicit: Si nos legem hanc nostram super montem aliquem portaremus: mons ille ob DEI & legis ejus reverentiam sine morâ se inclinans adoraret. Tantam præterea eam legem esse, ut neque à diis neque ab hominibus melior excogitari posset: per illam enim etiam esse salvandos ipsos demones.

Mahometis de Alcorano suo mendax gloriatio.

Ceterùm Lex illa in die quinquies jubet orare. Orantes autem ter in terram procumbunt, versus meridiem se statuentes. Quâ in re hunc servant modum: ut unus ex oraturis, qui velatate vel aliquo insigni præeminet: primus genua figat: post eum reliqui quotquot fuerint, secundum recta linea tractum iidem faciunt. Porrò primus ille, ubi singulos flexisse genua putat, illicò prosterñitur, post eum secundus, tertius, quartus, usque ad extremum. Sicque aliquandiu cum gemitibus & profundissimis suspiriis prostrati orant. Dùmque se primus ille secundò vel crexerit vel rursus prostrârit, ceteri omnes per ordinem, ut eum facere vident, faciunt, Simia non absimilis quisque. Similiter autem postquam id tertio perfecerint, tunc demùm quasi quod petebant obtinentes, lati simul consurgunt. Verùm antequam orent, quasi in locum vel baptisimi vel confessionis, aquis se mersant. Ideoque ante singulas Muschkaas hujusmodi habent lavacra. Si verò in deserto fuerint loco, aqua vice terrâ aut pulvere corpus adspargunt: hoc ipsum ad pecca-

Ritus orandi Saracænorum.

Parasceve Saracænorû ad preceps.

Tenor precum.

peccatorum emundationem sufficere solide putantes. Porro oratio eorum non est aliud: nisi quia fatentur DEVM esse, fuisse, futurum: & Mahometem esse Prophetam à DEO missum & inspiratum.

Iejunia. *Jubet praterea Lex ejus singulis annis mensem unum jejunare: ita tamen, ut interdium quidem cibis abstineant, nocte*

Peregrinatio Mechâ.

verò & adusque aurora lucem epulis ac incontinentia turpiter indulgeant. Per singulos quoque annos jubet domum DEI, qua est in MACHA, visitare, quo convenientes, circuire deberent cum similibus induti vestibus: & lapides per media foramina parietum tamquam diabolium lapidando, jactare. Ipsam domum, ABRAHAM pro filiis suis, potissimum ISMAHELITIS, orationis causâ, dicebat construxisse. Mandat

Prohibita suilla.

insuper suis Sequacibus, ut adversarios hujus falsò dicta fidei, nisi secum sentiant, persequantur, occidant, vel saltem sibi subditos reddant. Indulsit eis omnis carnis, praterquam suilla, esum, ac morticina & sanguinem. Et morticina quidem camelorum eos comedere, in deserto vidimus non semel, esu verò carnis suilla abstinent. Cujus esum ideò eis prohibuit, quia suem ex cameli stercore post diluvium, natam fabulatur. Permittit etiam suis, ut modò dictum, quatuor legitimas ducere uxores, ac

Ridicula caussa.

eas prout libuerit dimittere, aliâmq; in locum missa surrogare, ita tamen, ut quaternum repudii numerum non excedant. Emtas autem aut bello captas, tot habere permittit, quot quis vel habere pravalet, vel nutrire: illasq; vendere, nisi gravida fuerint: tunc enim amplius vendi eas non licet, sed donari.

Polygamia.

Adhac permittit agnatas & affines ducere, quò genus eorum propagari, & ex duplici conjunctionis jure amicitia inter eos firmior valeat nutriri atque conservari.

Incoëstus.

Leges Politicæ,

Ceterum in bonis tam mobilibus, quam immobilibus, leges tenent Hebraorum testamento veteri conscriptas. Rarò jurant: ideòque non nisi honestas, & magna auctoritatis personas in testes adhibent: qui sine jurejurando testari possint. Amplius, vetat eis Lex Mahometica, Vini usum, quoniam ad multa ac

Interdictum vino.

varia

varia mala impellat, quodq; si couterentur, libertatem ac imperium retinere non possent. Promittit eis insuper Paradysum quendam voluptatis, ubi sub amœnissimis confidentes arboribus, nec frigus patientur nec aestum, sed quidquid optaverint, euestigio consecuturi. Vestiendos praterca vestibus sericeis & molliissimis & coloris omnigeni. Porro angelos DEI tanquam pincernas & œnophilos vina eis suavissima affatim ministraturos. Addit pulcerrimarum concubitûs fœminarum, lectos delicatissimos & cuncti generis delicias habituros: transgressores verò & legi huic adversarios, contraria illis aeternum passuros.

Eminentia
somnia vo-
luptatum
post mor-
tem.

Porro MAHOMETES tantum sibi met ipse tribuit, ut etiam audeat mentiri CHRISTVM de se prophetasse, his ferè verbis: Annuncio vobis de Nuncio DEI, qui post me venturus est, cujus nomen est MAHOMETES, quod scriptum est ab aeterno in conspectu throni DEI, ad dexteram ejus. Adhuc DAVID & Psalterion ejus summis effert laudibus. Itidem facit & de Prophetis ceteris. Præcipue tamen Moysen commendat. CHRISTVM tamen eo majorem, Se autem omnium dicit maximum. Dicit praterca Christianos Evangelium, Judæos verò legem Moysis corrupisse: tantumque in utroque veritatis esse, quantum ALCORANO suo contineatur. Faretur etiam Se in armorum virtute, CHRISTVM verò in miraculorum potentiâ, à DEO missum atque instructum venisse.

Mahometis
blasphema-
arrogantia.

Quid autem de CHRISTO, MARIA Virgine, de Evangelio, ac demùm de se ipso sentiat, ex Alcorano clarum. Dicit nempe: DEVM: JESVM & MARIAM hominibus miraculum fecisse. Et alibi: Verbum DEI CHRISTVS JESVS, Maria Filius, à Creatore mundi missus est, ut esset gentium omnium facies, in hoc seculo atque futuro. Idem alibi fatetur, CHRISTVM DEI virtutem, verbum, sapientiam, animam, flatum & cor DEI, afflatu quodam divino ex Mariâ semper-virgine generatum, suscitasse mortuos, vestiisse visu cacos,

Mahometi-
ca de CHR-
STO opi-
niones.

De Mariâ
Matre
CHRISTI.

Mahometes
Christianos
Iudæis an-
teponit.

N. B.
Diabolica,
CHRISTI
crucifixipro
nobis elu-
sio.

Alcoranus
de Maho-
mete.

De EVAN-
GELIO.

Fides Ma-
hometista-
rum.

*aliaque multa fecisse miracula: Fuisse verò cunctis Hebrao-
rum Prophetis excellentiorem, nullumque Judæos post CHRIS-
TVM habituros Prophetam. Et, JESVM quidem omnibus
Viris ac Prophetis, MARIAM verò cunctis anteponit mulieri-
bus. Inducit enim in Alcorano suo DEVM ita loquentem:
MARIÆ mulierum omnium optima, & à nullo umquam viro
tacta, nostram insufflavimus animam, illam ac filium suum
JESVM CHRISTVM, manifestum miraculum hominibus po-
suimus. Addit, Corpus JESV incorruptum cælos adscendisse.
Christianos Judæis longè anteponit. Nam si quis Judæus fidem
suam amplecti vellet, non prius admittitur, donec Christiano
more baptisatus, tandèmq; abnegans transfuga nostra reli-
gionis efficiatur. CHRISTIANOS tamen imprudentia & stu-
piditatis arguit, qui CHRISTVM DEI Filium probra crucis
mortèmq; acerbam perpeßum, sibi persuadeant. Dicit autem:
JVDAM proditorem, dum CHRISTVM Judæi in horto quære-
rent: in similitudinem CHRISTI mutatum, & loco ejus cru-
cifixum.*

*Idem MAHOMETES in Alcorano suo dicit: Neque se
miracula fecisse, neque facturum: plurima ignorare: esse pu-
rum hominem, tamen si à DEO missum & inspiratum: neque se
dare posse veniam peccatorū. Vetuit etiam se adorari: fatetur
præterea esse in libris suis quadam de quorū veritate dubitari
possit. Auctoritatem verò Evangelii liquidissimè fatetur, cum
ipsum lumen, directorium ac perfectionem appellat. Et sanè
multum Alcorano suo detraxit, cum dixit: Quicumque DEVM
verum adorans honestè & justè vixerit, sive Judæus sive Chri-
stianus, sive Saracenus, misericordiam & salutem consequetur.
Liquet ex his paucis, quàm sibi ipsi frequenter fuerit contra-
rius. Ejus sectatores Creationem mundi, Adæ formationem, ac
omnem Hebraicam probant Historiam, & CHRISTI ex parte
doctrinam. Credunt, Antichristum fore pessimum hominem &
à CHRISTO occidendum. Corporum Resurrectionem, ulti-
mum judicium, præmia & supplicia fatentur æterna, CHRI-*

STVM q̄i

STVMQ; DEO proximum in iudicio assessurum. Ha sunt ex multis pauca ineptia Mahometica, quibus tamen vera multa permixta sunt. Tanta nempe & vis & veritatis est virtus, ut eam saepenumero, etiam ab ipsâ extorres, quodammodo inviti proferre & fateri cogantur. Lactantius.

MAHOMETES ergo, ubi 34. aetatis annos exegisset, tandem hausto veneno miserabiliter obiit. Sunt qui dicant, eum ante obitum septem diebus amentem effectum, ventre instar utris inflato, indignantem exhalasse animam. Tradunt praeterea: Mahometem antequam moreretur, petiisse ab amicis suis ac necessariis, ut ante triduum non humaretur: futurum enim ut tertio die in caelum assumeretur. At ubi obiit, triduum haud solum sed toti 12. dies nequicquam à suis expectati sunt, ut assumeretur. Postquam verò nihil nisi factorem experirentur horribilem, irâ ingenti perciti, nudum eum sub terram intrudunt. Post ejus infelicem mortem sequaces, & praecipue CALIPHA, qui ei in principatu successit, timentes, ne propter tam ignominiosam & mortem & sepulturam, secta noviter cepta unâ cum principatu dissolveretur: extractum vile cadaver, in arca posuerunt ferreâ, atq; in templo magnetis ful-
to parietibus, eam locaverunt, atque ita arcula à magnetibus sursum attracta, in medio aëris remansisse dicitur pendula usque ad annum DOMINI 1470. annis octingentis septuaginta. Tunc enim grandis fulgureus templi illius profani par-
tem, unâ cum arcâ illâ & perditio corpore adeò quassavit, com-
minuit, & in intima abyssi demersit, ut post hoc nequaquam nec videri nec inveniri possit. Porro huius rei causam hanc tra-
dunt Mahometista: voluisse scilicet DEVM, peccatis hominum ita merentib; totam mundi subvertere machinam: sed Maho-
mete intercedente, ac plagam illam in se ac sepulcrum suum convertiorante, DEVM placatum, sepulcro ejus quassato, hu-
mano pepercisse generi. Illud verò sepulcrum, imò & locus se-
pulcri tantâ apud suos veneratione percolitur, ut eorum ma-
gnâ pars, qui illud viderint, oculos sibi bulliente aquâ excacent,

Mahometis mors.

Postulatio ejus ante obitum,

Pheretrum Mahometis.

Grando fulguris.

Elusio mira.

Mahometistarū amens amor sepulcri pseudo-prophetæ.

tanquam nefas sit eos aliquid aliud videre, qui Mahometis mausoleum viderint. Merita certe stultis pœna, ut qui toto animo prius cacutiant, post hoc etiam oculis capiantur. Et hac de Mahomete.

CAPUT IX.

Cœli auræque perpeffa adversitate tandem Baruthum intrant. frigoris in Antilibano sævitia. oræ Baruthinæ amœnitas. Acta Titi in eâ urbe. Muli, fructus loci. Sarepta, Sidon, vicinæ.

D^IE 17. Januarii, cum nos ex casâ illâ ad discessum accingeremus, ecce subito tonitrua, fulgetra, ventorum tempestas horrida, nivium cumuli, ac procellosi consurgunt nymbi: cælum terrâque horrendo quatiunt fragore, nobisq; exitum undique præcludunt. Itaque necessitate coacti totum illum diem in casulâ illâ nos continuimus, terentes tempus disputando de Fide cum adventiciis nonnullis Judæis. Excitato denique qualicunque igniculo, quia sarmenta & virgulta humido abundabant, fumusq; inde consurgens tugurio passim volitabat: afflicti admodum & penè cacati promi jacebamus: donec mulionis nostri industriâ omne illud fumigans exturbaretur, & latior atque largior ex adustis carbonibus extrueretur focus.

Die 18 inde digressi pedes iter carpsimus. Ad eò nempe confragosos colles vallesq; nix alta oppleverat, ut vix muli cum impedimentis incedere possent. Ceterum dum ex montibus illis ANTILIBANI jam descendere cepissemus, à pluviâ jugi ac gelidâ excipimur. Currebant passim cum impetu ac murmure aquarum rivi, & saxa arenâsque secum trahentes, iter nobis non melius efficiebant: sensimusq; horrorem & frigus non exiguum, ex ipsâ aurâ & vestium madore contractum. Adhac, triplicis tunica madidum imò planè aqueum pondus, vix nobis erat portabile. Restabat inter hac nil nisi pati, vicinâq; spe meliorum, nos consolari.

Antilibanus.

Madore.

Majori

Majori ergò diei parte sic exactâ, tandem in planiciem descendimus. BARVTHVM intramus, in Venetorum Fontico Baruthum.
humaniter excipimur, mutamus vestes, congelata membra
foco latiorêque cibo reficimus. Postridie venit nuncius, in AN- Exitiale fri-
TILIBANI jugis (in quib. & nos multum laboraveramus) tres gus Antili-
homines cum Camelis quatuor frigore coneretos periisse. Quo bani tribus,
audito, gratias benignissimo Servatori egimus, quòd tale in-
commodum, vix licet, evasissemus vivi. Eodem die cum Nego-
ciatoribus Venetis ac quibusdam monasterii inibi SALVATO-
RIS fratribus, extra urbem procedentes, ejus lustravimus si- Amœnitas
tum atque agros: ambulantesque per campos amœnissimos, vi- oræ Baru-
dimus multa oliveta, amygdalôsque jam tum florentes, terram thinx.
feracissimam ac salubribus aquis irriguam, malogranatis,
malis punicis, musis ac aliis arboribus, qua eo tempore pomis
erant onusta, refertissimam. Qua res nobis non modica & ad-
mirationi fuit & voluptati. Nam quo tempore apud nos pra-
ta canis albicant pruinis, fluminâque acuso constiterunt gelu,
& sylva laborantes onus vix nivium sustinent: hîc autem
purpureum erat ver, rivi dulce sonantes, ac floribus herbisq;
ponè coronati, arbores adeò pomis gravida ut pluraq; suo onere
procumberent & rumperentur. Quod eò nobis erat mirabi-
lius, quòd in conspectu simul erant undique montes nivibus re-
fulgentes.

BARVTHVS verò, sive ut urbem hanc moderni dicunt, BERITHVS, ut & Amphitheatri ruina ostendunt, & Joseph. lib. 7. de Bello Judaico meminit, Phœnicia quondam non spernenda civitas, Romanorum erat colonia. Ubi TITVS post captam Hierosolymam diutius commoratus est: magnâ usque claritate circa natalem patris diem, tam spectaculorum magnificentia, quam sumtibus aliis excogitatis. Ubi etiam captivorum multitudo consumpta est. Alii bestiis objecti, alii catervatim coacti more hostium inter se depugnare. In hac etiam urbe, referente eodem, Rex AGRIPPA theatrum multis pecuniis exstructum annalibus consecrat liberalis EDITOR spe-

Acta Titi
Vespas. F.
Baruthi,

Musi cujus-
modi fru-
ctus,

Opinio de
ligno Mu-
forum.
Folia arbo-
ris.

Sarepta Si-
doniorum,

SIDON Di-
donis pa-
tria.

Etaculis. Frumenta populo copiosa & oleum opulenter exhibuit, & omnem pariter civitatem statuarum pulcritudine & antiquorum imaginibus exornat, ac penè omne decus regium illuc migravit. Fuit hic olim re Christianâ florente sedes Episcopalis, hodie pago quàm civitati magis similis. Multa ibi vetustatis extant ruina, multa etiam & varia advehuntur & exportantur merces. Musi illic in tantâ crescunt copiâ, ut inde ad multa circum jacentia deferantur loca, Tripolim videlicet, Damascum, Damiatam, & usque in Alexandriam Egypti. Sunt verò Musi fructus colore fabis haud dissimiles & figurâ, nisi quòd multo sunt grandiores, gustu sapidissimo, odore admodum & suavi & salubri, & quasi similem cum melle saporem habentes. Crescunt botratim, id est, plures in uno botro: aliquando decem, plarumq; viginti, nonnunquam etiam supra. Qui ubicunque & quotiescunque inciduntur, in utràque incisâ parte crucifixi effigiem clarè ostendunt. Ferunt eam arborem esse lignum scientiæ boni & mali, de quâ DOMINVS vetuit ADAM sumere: atque ideò plarique eam arborem ADAM ibi nominant. Folia ejus decem-pedalis longitudinis, latitudinis verò palma & semis crescunt: in quibus ante papyri usum, veteres dicuntur scriptitasse. Nam & tales folia eorum lineas habent, quales in papyro videmus fieri. Ceterum tribus ferè à BARVTHO miliaribus est SAREPTA Sidoniorum, ubi, ut habetur 3. Reg. 17. HELIAS pauperi mulieri farinam oleumque miraculosè adauxit, filiumque morte suscitavit.

Abinde duobus circiter miliaribus est SIDON, Phœnicis quondam egregia ac prapotens civitas: & de quâ erat DIDO illa Vergiliana, quæ fugiens fratris insidias è regione urbis Roma condidit CARTHAGINEM, Romani Imperii æmulam acerrimam. Reversî Baruthum complures illic dies exegimus, expectantes, ad trajiciendum in Cyprum, navigia.

CAPVT

CAPUT X.

Mari Tripolim versus navigant. passus canis. Narriabrahim
flumen. Biblus. Patron five Botros.

DIE 29. Januarii, advenit nobis à TRIPOLI Nuncius, re-
ferens ibi navem onerari, ac in CYPRUM jam jamq; tra-
jecturam. Proinde nil morati, res nostras colligatas scaphidio
imposuimus, atque demùm hospiti nostro valedicentes, ipsi et-
iam conscendimus scapham. Non enim per terram ire consul-
tum erat, propter grassatores, qui pridie duos in viâ jugulâ-
rant. Eo quippe tempore, dominus Baruthi & dominus Tripoli-
tanus graves & apertas invicem exercebant inimicitias. Per
maris ergò sinum plusquàm tribus miliaribus remigantes, ex-
positi sumus in terram comitatûs Tripolitani, circa locum, qui
passus canis Latine, apud Saracenos verò Narrikelb, id est, flu- Passus ca-
nis.
men canis dicitur. Arabum quippe linguâ hac dictio Narr,
flumen, diem & ignem significat, Kelb verò canem. Obtinet
autem locus nomen idcò, quia ibi fluvius quidam mare influens Ratio no-
minis.
in ipsis faucibus saxum habet ingens, mediâ ferè sui parte
aquis superius; quod & formam habet caninam, & propter
impetuosî fluminis collisionem, latratus quasi canis edit. In hoc
loco erat quondam terminus Patriarchatûs Jerosolymitani, &
initium Antiocheni, hodie medium est inter Baruthi & Tripo-
litani dominium: pertinet tamen ad Tripolim.

Circa hunc locum scaphâ expositi, conductos iterum con-
scendimus Mulos: exindèque profecti bonam dici partem cir-
ca mare pergendo consumpsimus. Post ad flumen quoddam,
quod Saraceni Narriabrahim dicunt, venimus, super quod Narriabra-
him flumen.
pons quadro structus lapide egregiè imminet. Dehinc cogente
pluvîâ in casale quoddam opportunè se nobis oblatum intra vi-
mus, atque ibi inter mulos jacentes pernoctavimus.

Die 30. Januarii ante Solis exortum tribus ferè horis in-
de levantes, habuimus iter molestum valdè, nam propter via
scabritiem, qua nocte opacâ eligi non poterat, sæpenumero unâ
cum

Biblus.

Patron five
Botros.Adventus
Tripolim.

cum mulis ac toto desuper onere in terram delapsi afflicti ab-
mur non parum. Sed tamen Solis exorto jubare melius habere
cepimus. Vénimus deinde ad oppidulum semirutum, quod tem-
pestate hâc JVBILETVM, ôlim verò BIBLVs seu BI-
BLIVM dicebatur: eratque hîc sedes Episcopalis. Et ut Strabo
lib. 16. meminit, BIBLVs ôlim erat CYNIRAE regia, in quâ
ADONIDIS erant templa; Eam tyranno oppressam POM-
PEIVS liberavit, illo securi percusso. Brevi post vénimus ad
opidum PATRON, quod ôlim BOTROS dicebatur, divitiis &
gloria quondam clarum, vino præcipuo, oleo ac multigenis fru-
ctibus abundans: sed hodie exiguum est, muro tamen quali-
cunque septum. A BOTROS profecti, quia hætenus circa
mare perrexeramus, in sylvam intrantes montuosam, ac in ea
aliquandiu pergentes, demùm montium superatis jugis rursus
ad mare devenimus: tandem cum Solis occubitu viarum ma-
lignitate multùm afflicti TRIPOLIM vénimus, ad fonticum
Venetorum divertimus, gratè & humaniter excipimur, hu-
manius tractamur &c.

CAPVT XI.

Conspectus Libani. Oræ Tripolitanae nobiliss. amœnitas.
Incolarum opulentia. rationes appellationum, Tri-
polis & Libani. hujus fecunditas.

Conspectus
Libani.

DI 31. Duce Magistro Alberto Coetho, Physico Tripolita-
no, extra urbem ad situm loci conspiciendum, ivimus. Et
ut id fieret rectius, in collem quendam conscendimus. Videba-
tur supra urbem non amplius tribus milliariibus cantatissimus
ille mons LIBANVS, alto perquam ac nivoso protensus verti-
ce, plenus Cedris, abietibus, platanis, aliisq; nobilibus arboribus.
Inde aquarum ille impetus, quem Canticorum Salomonis de-
scribit Liber, in mare prorumpit. Imi colles, ac loca urbi vici-
niora Baccho, Cerere ac Pallade frequentantur. Hic undique
loca amœnissima: hîc perstrepenes fluvii; hîc rivî immurmu-
rantes

rantes ac gelida fontium scaturigines: hic arborum multijuga species, sericum, bombicem, & varios ferentes fructus: hic flores, colores, odores, delectabiles: hic denique tanta amœnitas, ut non immeritò quod de Alcinoi hortis Vatum Princeps cecinit adscripserim:

Orz Tripo-
litanz fer-
tilitas amœ-
nissima.

Hic nemora in cœlum latè crescentia surgunt,
Punicei pomum grani, malumque pirumque,
Et dulces ficus, & magnæ Palladis arbos:
Non illis Borealis hyems, non officit æstas
Torrida, sed placidas Zephyris spirantibus auras
Arboribus totum superat foetura per annum,
Et pomo insenuère recentia poma priori,
Et nova jam miti superadvenit uva racemo.

*Torrò loca urbi adjacentia dites incolunt populi. Situs hoc efficit, quia regio crebris & navigabilibus alveis fluviorum per-
via, diversas opes terra marisq; facili commercio permutat ac
miscet. Dicitur verò Tripolis, volente Strabone, propter tres,
quas habuit, urbes: TYRÛM, SIDONEM, & ARADVM.
Torrò LIBANVS Mons quasi albus dictus, eò quòd tam astate
quàm hyeme perpetuis abundet nivibus: Qui licet aridus ap-
pareat, multis tamen & saluberrimis scatet fontibus. Fert Ce-
dros, Cyparissos, olivas, ac gummi quod olybanum dicunt: alias
præterea & arbores & herbas humano usui conducentes. A
serpentibus noxiisq; animalibus immunis est, vinique quon-
dam ferax optimi.*

Incolarum
divitiæ.

Tripolis un-
de dicta.

Libanus qui
sic dictus.

Fertilitas
Libani.

CAPVT XII.

Effossa circa Tripolim nummismata. Metamorphosis Ara-
bica. Aqua Persica. ejus vis & usus.

DI E 1. Februarii exivimus iterum ad urbem situm ex parte
aliâ conspiciendum, vidimusq; primò portum civitatis, fre-
quentibus vallatum turribus, & antiqua Tripolis ruinas, in
quibus multa effodiuntur veterum antiquitates & nummismata.

R

Ostendit

Ostendit nobis ibidem Magister Colethus Physicus, nummum aureum, illic nuper casu effossum. Habebat verò nummus ille imaginem MARTIS hastati, cum tali inscriptione:

Restitutor Reip. Sp. ff. Aug. d. n. Valen.

Argentei
duo.

Metamor-
phosis in
Arabia.

Aqua è Per-
sidè.

Ejus natu-
ra.

Aquæ usus,

Item & alios duos nummos areos, unum Augusti Caesaris, alterum Romuli & Remi sub uberibus Lupa nutricis eorum. Post hæc & alia visa reversi domum, inter prandendum multa & mira audivimus, de ZOPHI & ejus gestis, de quæ aliis rebus quarum per Orientem fama & major & crebrior fuit. Tradebant nobis veridicâ relatione viri & animo & annis graves: esse vel potius fuisse, in Arabia, in itinere quod METCHAM ducit, urbem quandam grandem, in quâ horrendo DEI judicio & homines & jumenta, insuper & universa utensilia eorum in lapides, singula secundum suas formas, sunt conversa. Eodem die, penè dum hæc nobis & alia narrabantur, venerunt duo viri Cyprii cum mirabili quâdam aquâ, pro quâ ex Cypro in PERSIDEM missi, multa pertulerant incommoda. Illam verò aquam asserebant ejus esse virtutis, ut si ipsa aut vas ejus terram attingeret, continuo evanescens dispareret. Et ob hanc causam semper in ligno bifurcato eam appendere necesse habebant. Valere vim ejus contra Cantarides, frugum vastitatem & corrosionem facientes. In quocunque loco aut provinciâ habeatur, cantarides radicitus effugari. A quibus verminibus quia multum infestatur CYPRIVS in NICOSIA, quæ est Cypri Metropolis, in templo quodam solere eam appendi, ac ita demum totam Insulam incommodo Cantaridum liberari. Dicebant insuper se à Duce Cypri pro hac aquâ missos, decem aut eo plus menses in itinere exegisse. Et initio quidem quatuor fuisse comites, sed postea præ frigoris rigiditate duos ferè consumptos, subsequi non potuisse. Hæc nos tunc audita, postmodum in Cypro constituti vera esse cognovimus, & nedum cōtra Cantarides in agris sparsam, verum & contra plarâsque agritudines haustam, aquam illam valere didicimus.

CAPVT

CAPVT XIII.

Ostensio Zophiani nummi. Sectæ Mahometicæ. Historia
ortûs & rerum gestarum ZOPHI. ejusdem ritûs &
mores. Soldani Ægyptii arrogans titulus.

DI 2. Februarii supervenit Mercator quidam Italus, ex
ALEPO urbe, qua in confinio TVRCI & SOLDANI sita, Alepo urbs,
utriusque imperium interfecat. Hic nobis retulit mira ac penè
non credenda de ZOPHI. Ostenditque, & tandem vix & pre-
cio & prece tradidit nummum ejus argenteum grandiuscu-
lum, valentem ferè unum seraphum, in quo talis continebatur Nummus
superscriptio Arabicis literis: Bidtzind roshel halla. elkaher Zophianus,
lihalladhey anasultan Zophi. Quorum sensus hic est: Popu-
le meus, ego sum ille verus SVLTANVS, id est, Princeps Zo-
phi, missus à DEO in exterminium inimicorum meorum. Nar-
rabat præter hac dictus Mercator, ipsum ZOPHI habere in
exercitu suo ultra ducenta millia bellacissimorum hominum,
TVRCO maximè infestum, nuper ei supra quindecim homi-
num millia trucidasse, ac præpotentis cujusdam Turcorum
Principis HALIDVLI nominati, tribus filiis occisis, contra
ipsum maximè properare TVRCVM. De hujus ergò ZOPHI
origine & gestis, qua vel ab hoc Mercatore, vel ab aliis relata
percepimus, pauca referam.

Erat MAHOMETI Nepos, HALY nomine, qui etiam san-
ctus & propheta à suis habitus novam commentus est nugator
sectam. Nam superstitio Mahometica in duas & septuaginta
divisa est sectas: ex quibus omnibus unam solam salvandam
putant: sed qua ea sit pro certo definitum non habent. Una-
quaque tamen secta seipsam salvandam deputat, ceteras o-
mnes ex damnabili censet numero: & præcipuè ita sentit
secta qua ZOPHI appellatur. Ex hujus ergò jam dicti HA-
LY origine ZOPHI iste natus perhibetur, qui proprio nomine
ISCHA ISMAEL dicitur. ZOPHI nempè nomen sectæ est,
quemadmodum erant Arrianorum, Manichaorum inter Chri-
stianos.

Exercitus
Zophianus.

Acta.

HALY ne-
pos Maho-
metis.
Sectæ Ma-
hometicæ.
72.

Opiniones
earum.
Vide I. Li-
p s I lib. de
unâ relig.
pag. 44.
Zophi ex
posteris
Haly.

Historia de
Zophi.

Confluxus
exercitus ad
Zophianum
causæ.

Zophi vin-
cit Ducem
Persici Re-
gis.
Iandem &
Regem
ipsum.
Zophi con-
nubium.

Crudelitas.

Ritus mo-
resq; Zophi.

stianos. Iste igitur ZOPHI adhuc puer parente est orbatus utroque, atque ex natali solo per tyrannum, Patris sui interfectorem, pulsus. Qui deinde, ubi adolevit, paucâ admodum & tumultuariâ manu militum collectâ, civitatem quandam grandem ac ditem hosti suo eripuit, ac in eâ truculentiam exercuit savissimam: nec atati nec sexui parcendo. Et hâc re & Regi & finitimis terrorem incussit non parvum. Confluebat tamen ad famam gestorum ejus undique militaris caterva, eorum maximè, qui Zophianam profitebantur sectam: tum quia fama, omnem eum capta civitatis pradam militibus concessisse, divulgârat: tum quia vaticinio quodam audierant, ex genere HALY oriturum, qui secta sua famam & imperium super astra efferret. Itaque ZOPHI auctus & militum numero & audaciâ, in finitimos passim excurrrens omnia igni ferroque vastabat, plures munitas urbes & arces, tum vi, tum ingenio capiebat. Sæpè etiam parvâ manu cum hoste numeroso congressus, victoriam semper reportabat ac trophæa. Quos fiebat, ut nedum privatis ac civitatibus, verum etiam & ipsi Adversario suo PERSIÆ Regi, formidabilis esset ac metuendus. Ipse nempe videns hostem indies viribus & animo augeri, veritus pejora, mittit contra eum ducem exercitus sui.

Ad quæ nil territus ZOPHI occurrit, congregitur, vincit. Quo triumpho potitus, non jam quasi homo, sed ut DEVS cælo delapsus adorari ceptus est à suis: ab Adversariis verò sicut fulgur timeri. At Rex Persia re per ducem malè gestâ, solus numerosiore conflato exercitu, cum ZOPHI congregiendi capitur ac trucidatur. His actis, ZOPHI occisi Regis filiam ducit uxorem, quæ demùm, quia eum super Patris nece arguere ausa est, manibus ejus similem patri sortita est necem. Quam crudelitatem dum ejus propria mater reprehenderet, pari modo ab eo fertur extincta. Tali modo ZOPHI tradunt invalluisse, ut jam à toto ferè Oriente honores ei divini sint exhibiti. Ajunt eum, gratiâ majoris venerationis in publicum non nisi velatâ procedere solitum facie: nullius uti consilio: Cattum quendam

quendam in deliciis habere, cuius omnia agat auspiciis. Ad hac porcum magnum nutrire, eique in contemptum Turcorum, Turci indidisse nomen: Turcos simul & Judaeos apprimè exosum: Christianos amplecti: ut ex quodam Christiano à Turcorum captivitate ad eum profugo patet: Quidum se Christianum fassus ostenso genitali membro probasset: ab eo & equo donatus est & multis nummis, atque liberè abire permissus Damascum postmodum venit, & hac aliaque negociatoribus Venetis illic demorantibus retulit: Esse staturâ mediocri: annorum fere 27. corpore subcrasso: in libidine satis continentem: omnia tenere cum suis communia: privati ferè nihil habere: vallari exercitu, auro bellicisq; armis ornatissimo. Ejus legatio ante modicos dies ad SOLDANVM missa Damasci aliquandiu substitit. Ferebant omnes pileos longos cum duodecim plicationibus, colore rubeos, & ob hoc ab Italis in Oriente degentibus Bireta rossa, id est, rubeum Biretum, & ipse & sui dicuntur. Hac de ZOPHI. SOLDANVS de se quid sentiat, ex literis ad Ducem Venetiarum, commonstratis nobis à Consule Tripolitano, liquet. His autem inibi se onerat titulis:

SOLDANVS maximus Dominator, nominatus Campsonalgaauri, Elmelkelezeraph, eximius, excellens, nobilis, sapiens, justus, debellator, stabilis suorum finium conservator, quique DEI juvamine est victoriosus: Rex Regum, gladius mundi & fidei: SOLDANVS & Princeps fidei Mahometica & Mahometistarum, vivificator justiciæ per totum orbem: & qui hereditario jure possidet regna: SOLDANVS Arabum, Persia & Turcia: Umbra dei in terrâ: Observator Præceptorum DEI & Prophetarum: & qui hoc tempore est alter Alexander, de quo procedunt multa bona: Qui est dominator sedentium in tribunali & in throno ac coronatorum: Qui est dominator climatum & provinciarum: persequutor rebellium infidelium, hæreticorum & paganorum. Conservator duorum locorum peregrinationis: Summus Sacerdos duorum templorum sacrorum. Qui est congregator ac conservator verborum fidei. Qui

Porcus in ignominia Turci altus,

Favor Zophi in Christianos,

Statura & ætas Zophi.

Legatio Zophiana.

Vide historiam hujus Zophi, sive Ismaëlis Sophi apud Peucerum prolixè, lib. 5. Chron.

Titulus arrogans Soldani.

Hic Campson ille Gaurius fuit, de quo Peucerus in Chronicis, lib. 5.

Selymus
huic titu-
lum adem-
it & insol-
entiam in-
fregit, de
quo vide
Peuce-
rum Chron.
lib. 5. sub
actis Sely-
mi.
Hora, de ar-
te Poëtica.

*defendit inopes justiciâ & multis bonis ornat. Dominus domi-
nantium : hoc tempore Sacerdos eorum quæ possidet DEVS : vi-
carius Calypha, qui est princeps benè credentium. Pater victo-
riarum. In dominio in quo eum Deus faciat perpetuum, & fa-
ciat exercitum ejus & populum victoriosum : & Deus eum ex-
altet supra signum Geminorum. Is est titulus SOLDANI.*

*Quid autem rationis isti tot, tanti ac tam tonantes tituli
in se habeant, quidve velint sibi, etiam cæcus quilibet obvolutâ
videat manu. Vos ut ait Flaccus : spectatum admissi risum te-
neatis amici. Risum inquam, imò stomachum, nasum ac bilem
super tot tantisque ineptiis, nugis, mendaciis & blasphemis.
Sed redeundum in orbitam.*

CAPUT XIV.

Saracenorum exaëto jejunio festum. Naturæ inter Baruthum & Tripolim portentum. Diabolica ad Tripolim pseudochristianorum secta.

Festum Sa-
racenicum,

DI 3. itidem ut & prius extra urbem progressi, vidimus in campo urbis totam ferè civitatem effusam & ludicris intentam. Eo nempe tempore jam exegerant Saraceni suum jejunium, & festum quasi Pascha celebrabant, facientes cætus, ac in equis hinc inde obequitantes. Nobis tamen in eo spectaculo memoratu nihil visum est dignum.

Tumulo itaque ibidem arenoso occupato, Consul Venetus Tripoli, quia novas & vetustas ejus gentis res videbat nos avide colligere, rem, inquit, stupendam ac plus ceteris memoratu dignam nondum audivistis. Accipite proinde rem à me ipso & ab hoc bono viro (senem sibi adstantem canicie venerabilem innuebat) sapius visam. Est inter BARUTHUM & TRIPOLIM mons quidam, mari adeò imminenter & proclivè adjacens, ut non nisi navibus ad id quod sum dicturus, pateat aditus. In ejus montis radice est antrum latè patens, frigidæque evomens aquas, ad quod ubi accesseris, videbis illicò manum quandam,

quandam, vasculum ex ore antri porrigentem. Quòd sicuri-
 sius scrutando propius accesseris, evanescit subito omnis illa vi-
 sio. Si verò te rursus abindè retraxeris, videbis rursus clarè
 manum illam cum vase. His Consul addebat, neminem pos-
 se antrum illud vel conscendere vel intrare, adeò locus princeps
 est ac difficilis.

Portento-
 sum antrū.

Idem in eodem loco nobis retulit, rem plus pœnâ quàm me-
 moriâ dignam: Esse scilicet non procul à Tripoli sectam, qua se
 Christianos jactitet, sed diabolica appellanda. Congregati
 enim certo tempore in antris passim commiscuntur, aliquando
 pater cum filiâ, filius cum matre, ut quisque in quam inciderit.
 Ex quo concubitu nefandissimo fœmellas quidem reservant:
 masculos verò singulos singulis annis acubus circumpunctos ne-
 cant, eorūque tandem sanguine sacrificant. Dimagni, ab-
 ominabilem vel cogitatu rem!

Diabolica
 secta.

Homicidia-
 lia sectæ fa-
 cinora.

Post hac navì conductâ volebamus statim trajicere in Cy-
 prum: sed ventus nobis contrarius in morâ fuit. Insuper & Pa-
 tronus navis nos retardabat, quem Princeps Tripolitanus, ob
 nescio quas fuitiles caussas bis carceri intruserat, & pecuniâ
 gravi multatum, vix ad Venetorum Negociatorum preces,
 vinculis missi Tyrannus aurisugus.

CAPUT XV.

Ad navigium mari reditus. Mastyx. Historia naufragii. ad-
 ventus Cyprum. Insulæ denominatio. Salinæ circa
 urbem & antiquitates.

DI 6. Februarii, divino invocato auxilio, navim intra-
 mus, ac eodem vespere ventis vela secundis implentes, ver-
 sus Cyprum solvimus. Invenimus verò in navì patronum quem-
 dam naufragum, cum suis. Erat ipse patriâ CHIVS, qua sola
 ex omnibus mundi insulis masticem gignit. Hujus insula Ge-
 nuenses ita potiuntur, ut singulis annis duodecim aureorum
 nummorum millia TURCO pendant. Tradunt nempe quòd
 cum

Chius insu-
 la genera-
 trix una
 Mastycis.

Historia
naufragii.

Tripolis do-
minus ra-
ptor.

Cyprus cur
Salamina
abolum di-
cta.

cum Turci insulam hanc incolunt, mastyx nequaquam crescat. Oneraverat patronus ille navim variis mercibus: ac è DAMIATA quæ olim Heliopolis dicta est, TRIPOLIM tendebat. Dúmque die quodam vela fecisset festo, ad cacum quendam scopulum ventorum violentiâ impulsus navim fregit, quæ in plarisque locis aperta & ruinosa, multum in se aquæ accepit: quæ eam profundius demersam, triduo inter scopulos detinuit: patronumque simul & qui cum eo erant, frigore omnino consumsisset, nisi DEVS eis aliter providisset. Nam supervenit interea praruptus quidam aqua mons, qui navim satis jam antè hiantem totâ dissolvit, ac cum omni onere fundis immergit aquoreis: hominib. tamen, præter unum, salvis, quem natantem rapidius vorat aquore vortex. Inde miseri illi paucas admodum quæ superfluitabant colligunt reliquias, ac lati pro salute sua ubi Tripolim intrârunt, spoliati sunt per dominum civitatis calamitatem calamitosus addentem, omni eo quod reliquum eis fuerat, vixque etiam ipsi evaserunt vincula & carceres. Et miserabile erat videre senem illum, incanâ barbâ, pedibus invalidum, ære ac bonis omnibus excussum, qui quondam alios precio vehere solebat, nunc navigio portari alieno squalidum atque famelicum.

Die 8. Februarii horâ penè diei tertiâ CYPRUM attigimus, ac in portum SALINAE intramus, multosque in eo loco dies propter certas causas consumsimus. Hæc civitas olim SALAMIS seu SALAMINA dicta est ex tali eventu. Est Salamina insula quedam in mari Euboico, contra Athenas sita, urbem retinens sui nominis, in quâ Telamon, Ajacis & Teucri pater regnabat. Sed cum reverteretur Teucer ex bello Trojano, nec de inimicis Ajacis fuisset ultus, à patre pulsus Cyprum perrexit, ibique hanc urbem ex nomine patriæ condidit. De quo Venuſinus Vates carm. lib. 1

Nil desperandum Teucro Duce, & auspice Teucro:

—— Certus enim promisit Apollo

Ambiguum tellure novâ SALAMINA futuram.

In hæc

In hac urbe, ut habetur Act. 13. Paulus & Barnabas predicabant verbum DEI: ibique demum Barnabas martyrio finivit vitam. Est circa eam lacus ingens salis optimi, qui Solis excoctus ardoribus in salem optimum coagulatur: quidem in Syriam, Graciam, Italiam atque alias partes transportatus ultra trecenta aureorum millia Venetorum conflat dominio. Circa portum Salamina Ecclesia est, in cujus unâ parte Graci, altera verò officina sua peragunt Latini. Haud procul abinde circa mare sub colle quodam extant ruinae Amphitheatrales. juxta antrum est, saxis pyramidalibus desuper stratum, ac circa ea multa vetustatis ingentia saxa, candidique marmoris columna, verum oblitterata, rum planè scripturarum.

Barnabas
sublatus in
Cypro.
Salinæ
Cypri.

Templum
Christianorum.
Ruinae Amphitheatri.

CAPVT XVI.

Nymosia seu Nicosia urbs Cypri. hujus Episcopatus. mari perpeffa adversitas. navis piratica Rhodiorum. excisa Piscopia. Paphus. ejus conditor.

DI 3. Martii, quia navis nostra in alio insula loco frumento erat oneranda, rebus omnibus in navi dimissis, itinere pedestri perreximus, tum laxandi animi gratiâ, tum etiam exploranda insula causâ. Venimusque prosperè sequenti die ad Lymison, quondam NYMOSIAM dictam, hospitati apud Vicarium Episcopalem. Est enim ibi Episcopatus unus ex Cypri quatuor Episcopatibus. Primus in LEVCOSIA, qua hodie Nicosia dicitur: Secundus FAMAGUSTA: Tertius in PAPHO. Qui Episcopatus singuli sunt duplices, ita ut in unoquoque eorum sit & Græcus & Latinus Episcopus. Eodem die post meridiem supervenit navis nostra. Raptim itaque comitum comparamus, inferimus, conscendimus. Inde mox solvantes cum vix ad miliare unum navigarem, contrario ad-

Episcopatus
in Cypro.

Adversitas
in mari.

S pro

Navis piratica Rhodiorum.

pro tibicine & citharâ habuimus. Inter hac venit ad nos navis una RHODIORVM, piraticam exercens, qua exploratâ navi nostrâ, unde esset, quid vel cujus merces veheret, cum omnia Christianorum esse didicissent, remis aliquot quibus indigebant nobis ablatis, in sua discesserunt.

Colossus vicus Cypri. Piscopia civitas desolata.

Die 8. circa meridiem, cessante illâ tempestate, vela fecimus, ac in altum aliquatenus progressi, praternavigavimus COLOSSVM, vicum Cypri, saccari abundantiam nobilem. Similiter & PISCOPIAM civitatem, quam Rex quidam Anglia, in ultionem stupri sororis suae (quam ibi, Hierosolymam petens dimiserat) funditus vastat.

Paphus.

Aër in Papho.

Conditor Paphi.

Helenæ raptus.

Die 10. venimus PAPHVM. Hac nobilissima civitas, Cypri olim Metropolis, VENERIS erat regia: hodie ut omnes ferè Cypri urbes, admodum lacera est & desolata: frequentibus hoc terra motibus efficientibus: ostenditur tamen & hodie ex ruinarum vestigiis, quid olim fuerit. In Papho, ut in totâ ferè Cypro, aër non admodum est salubris, licet passim Majorana, Hyssopi, aliarumque salutiferarum herbarum exuberet copia. Hanc urbem PAPHVS, Pigmaleonis ex Eburneâ filius, exstruxit, ac de suo vocatam nomine VENERI consecravit: cui etiam in eâ templum amplissimum dicat, ad quod, ut quidam volunt, dum HELENA ex Graciâ appulisset, à PARIDE raptâ, Trojana urbis excidii causam fecit. Sunt tamen, qui hoc ipsum in CYTHERA insula, (cujus supra libro primo facta mentio) factum dicant.

C A P V T X V I I.

Mora in Corsico, pago. inibi munera oblata. Describitur Cyprus, de situ, fertilitate, urbibus, incolis eorumque exossatione. In insulam Epigramma.

Pagus Corsico. Scandilora,

DIE 11. ex Papho solventes venimus jam nocte obscurâ ad pagum CORSICO, qui in amantissimâ quâdam situs valle, prospectum habet trans mare, usque in Ciliciam, qua SCANDILORA

DILORA

DILORA hodie dicitur. Ibi ergò plures consumsumus diès, donec navis frumento ac bombice oneraretur. Interim verò oblata sunt nobis amygdala, pisa, aliisque fructus horni, qui nobis non modicam & oblectationem & admirationem pepererunt, cogitantibus de frigore, quod eo tempore solet vigere in nostris partibus.

Munera pa-
gi Corsici

At verò *CYPRVS* insula nobilissima, sita in mari Carpathio, in maximo *ASIAE* sinu propè media, ad Ortum Occisumque se immittens recto jugo inter Ciliciam & Syriam porrigitur. Inter ceteras Orbis insulas famosissima: veterum divitiis abundans: luxui plurimum dedita, ob quod *VENERI* sacra scribitur. Ingens ipsa, ut qua aliquando Regni habuerit nomen & opes.

Cypri insu-
la sita.

Vitia.

Amplitudo,

CETHIM in Scripturis sacris nominata. Fert fruges affatim, bombicem, sericum, oleum, saccarum, nec vini aliena est. Hic colles innoxii, valles amœnissima, canoro avicularum personantes concentu: hic tepidi soles, nemorosa convalles, herbarosida, vernantia gramina, mollia prata & ad cubandum peraccommoda. In tantâ tamen fertilitatis amœnitate, & amœnitatis fertilitate nec urbium colitur nec pagorum frequentia: sed tanquam sterilis ac deserta, paucis inhabitatur *Mapalibus*. Urbes præter *NICOSIAM* & *FAMAGYSTAM* nullas habet: quarum prima & magnitudine & *POTESTATIS* illic residentis dominatione celebris habetur, altera verò tum portu tum suis munitionibus præcellit. Adhæc omnes *Cypri* *INCOLAE* Veneta sunt mancipia: Omnium nempe quæ ipsis velex terra culturâ, vel aliunde proveniunt, partem tertiam dominio solvere tenentur, sive in frugibus, vino & oleo, sive in pecoribus & qualicûmq; lucro. Insuper omni septimanâ tenetur quilibet duos diès, ubicûmq; fuerit ordinatus, laborare. Si verò aliquem vel laboris proprii occupatio vel valitudo detinuerit, tot marcellos solvit, quot diebus à labore vacat. Nihilominus tamen sapius in anno surgunt tributa, donationes & alia multa gravamina, quibus miserum vulgus aded

Cyprus
Cethim,

Fertilis a-
mœnitas,

Urbes Cypri
Nicosia.
Famagusta,

Incolarû mi-
seria & ser-
vitus.

S 2 exof-

exossatur, ut vix necessaria pauperi victui habeat. Legimus Famagusta in adibus magnificis Negociatoris Veneti hoc Epigramma:

Epigram-
ma in Cy-
prum.

Si dolor & lacrumæ superos contingere possent,
Quàm tua defleres regna prolapsa VENVS!
Insula nempè bonis clara hospitioque DEORVM,
Vix colitur raris nunc (pudor!) indigenis.

Reliquum tempus cum magno fastidio in hac insulâ consumpsimus, expectantes donec navis justum onus diversarum mercium adimpletset.

CAPVT XIX.

Arietes Indici, maris tranquillitas. naulum solvunt aviculæ. Cocalæ natura. Golphus Sataliæ. Helenæ ibi factum.

Arietes In-
dici,

DIE 28. Martii ventum nacli lenem, vix Sole exorto solvimus ex Cypro, ac tenuiter navigantes ocio indulgimus & solatiis. Habuimus in navi duos Arietes Indicos, delicias concertando nobis facientes: utrumq; quatuor habentem cornua, duo directè in fronte, oblonga & recta, mox circa extremitates recurva & quasi coeuntia, rursûmque ab invicem recedentia, & in acie obtusa atque globosa quasi: (tale fuit diadema SOLDANI & Papæ ejus, quem in Cayro, superius uti dictum, vidi-mus) reliqua autem duo cornua arietum erant circa aures, tota plana & recta, primisque duobus multò breviora.

Bonaza ma-
ris.

Prenæ avi-
culæ.

Cocala avis

Die 29. tanta fuit maris undique tranquillitas usque ad vesperum, ut mare videretur immobile, ac quasi pavimento plano persimile. Eo die plures avicula, qua plus justo silente mari à terris avolârant, defatigatis fortè pennis, in navis malo & antennis consedère, quas adveniente nocte Nauclerus comprehensas, naulum solvere ad carbones coëgit. Inter eas fuit una dicta Cocala, colore candido, par anseri, qua in sublimi volitans, visûs acumine mare metitur, ac minuiiores pisciculos

culos in summitate vagantes, uncis rapit pedibus: & hac escæ ejus, hoc jûge est exercitium.

Die 30. ac sequenti pertransivimus in maximâ & optatissimâ auræ serenitate sinum sive Golphum SATALIAE, qui & Golphus Helena dicitur. Hic siquidem Helena Constantini mater, dum ex Hierosolymis Constantinopolim peteret, quatereturq; tempestate gravissimâ, projecisse traditur clavum unum fixi pedibus CHRISTI, in maris fundum, ac conquisse procellas tumoremque maris. Golphus hic à Nautis formidatur, qui vel ad vocem contremiscunt.

Golphus
Sataliæ.
Factum He-
lenæ.

CAPVT XIX.

Mari discrimen. Rhodum adventus. ejus situs. inibi Colossus Solis. Rhodiorum denominatio ab hoc. Incolæ. urbis munitio. victoria. Soldani postulatio.

D*IE 1. Aprilis contrario vento laboravimus. Secundâ verò qua tunc Dominica erat Latære, in conspectu castelli R O D-
Z I (quod Rhodianorum in scopulo quodam alto & præcipiti est) dum cornua velatarum obvertimus antennarum, ventus fortissimus nos contra exortus, velum majus à summo ad imum per medium discidit. Tum in horrendo mortis constituti periculo trepidi tremimus. Aliquando nempe tollimur in cælum curvato gurgite, & iidem aliquando subductâ ad manes imos descendimus undâ. Clamores undique tolluntur cum prece & ploratu, hic desperantium, illic adhortantium strident voces. In hac necessitate omnes simul ad velum per aëra temerè volitans concurrimus, quod jam semilacerum in navim tandem detraximus, atque illic velum aliud quod de industriâ sub malo jacebat, ereximus, sicq; rursus, navî in gubernacula receptâ, quasi de morte ad vitam reducti, respiravimus, latas DEO agentes gratias. Sed & ventus ille savus jam pacabatur, & RHODVS insula e contra se attollens, spe nos reficiebat meliori.*

Castellum
Rodzi.

Discrimen
in mari.

Navis Rhodiz nova de victoria sua.

Die 3. ante portum Rhodium obviam habuimus navem Rhodiorum, euntem in TURCIAM ad pradandum, qua nobis retulit, ante dies octo, quinque Turcorum navigia (qua vulgo dicuntur Fuste) sub praedicto Castello RODZO conflixisse, sed Rhodiorum virtute repulsas etiam pudorem & damnum reportasse. Brevi post hoc in portum clara RHODOS delati anchoras jecimus, vela complicamus. Egressi dehinc navi intramus urbem, & munitionibus & rebus gestis clarissimam. Hanc Aegypti SOLDANVS, hanc & ipse TURCVS, ambo rebus gestis & potentiâ magni: ambo Christiana fidei hostes acerrimi, sapenumero obsidentes, evertere conati summis viribus, ingenti conatu, formidabili apparatu, nequidquam quod volebant adsecuti, plus detrimenti, quam intulissent ipsi, accipientes, novissimè liberam dimittere coacti sunt, à quâ & indies non parum patiuntur incommodi & damni.

Lege Historiam captæ insulæ & urbis in libro Insignium, Monachii excus. in fol.

Colossus Solis in Rhodo. Ejus fabricator,

Sumtus & opera impensa Colosso.

Colossenses Rhodii.

Ambitus insulæ. Nomina. Aëris inibi serenitas.

Incolarum habitacula,

Hac insula, teste Pompon. Melâ lib. 2. est Lycia provincia, & prima Cycladum venientibus ab Oriente. In urbe RHODO præter cetera in admiratione fuit COLOSSVS SOLIS, quem adseverante Plinio, fecerat Clares Lydius, Lisippi discipulus, cubitorum 70. altitudinis. Pauci pollicem ejus potuerunt amplecti, majores enim erant digiti quàm plarâ statua: Vastii habant specus defractis membris: spectabantur intus magna molis saxa. quorum pondere stabilierat artifex opus. Duodecim annis tradunt effectum trecentis talentis, quæ contulerant ex apparatu regis DEMETRII relicto. Hic COLOSSVS inter præclarissimâ septem ORBIS miracula meritò annumeratus, Rhodios fecit vocari COLOSSENSES: ad quos existat PAVLI scripta Canonica Epistola. Ejus ambitus completitur 920. stadia. Dicta abolim OPHYVSA, deinde STACLIA, postea TELCHEN, eò quòd TELCHINES eam incoluerint. De eâ Solinus hac dicit: Nunquam ita cælum nubilum est, ut in Sole RHODOS non sit. Ideoque olim SOLI fuit consecrata. Ejus incola hac tempestate in turribus demorantur, metu piratarum: frumentum omne ac reliqua victualia RHODOS

DVM

DVM convehunt, & in fossas subterraneas ad id egregiè apparatus componunt, inde cum res tulerit, velut ex privato recepturi penu. Ac si quando hostes insula se infuderint, ex turribus quas per singulos pagos incolunt, igne signum datur, ac sic in brevissimo momento tota pernoscit insula, quò concurrendum, quidve agendum imminet.

VRBS ipsa triplici fossâ cingitur, qua & amplitudine & profunditate mirum in modum præcellunt. Murus verò fortissimus, & omnis generis armaturâ, præsertim verò bombardis & aliis missilibus refertissimus, quamlibet fossam egregiè & dividit & tutatur. Munimenta, turres, atque antemuralia, talia sunt, ut ferrea videantur, & manibus fabricata Cyclopum. Incolis RHODI cum infidelibus nulla pax, nulla fœdera, nulla pacata commercia: sed continuum nunc cum Turcis finitimis, nunc cum Mauris, Aphris, Egyptiis, reliquisque à fide alienis, bellum est.

Vrbis munio.

Et hoc quidem anno, paullo ante appulsum nostrum unica navis Rhodia, quamvis & sui magnitudine & militum numero longè impar, congressa est cum unâ magnitudinis grandissima nave: qua quingentis Aphris & ducentis Judæis onerata erat: quam post cruentum & longum conflictum tandem vicit, cepit, spoliavit, ac in portum Rhodi captivam ducit.

Victoria Rhodiorum.

Quare compertâ SOLDANVS evesigio Oratorem suum RHODVM misit (quem & nos eo tempore vidimus) precibus primùm, dehinc minis expostulans: ut navem cum captivis cùmque bonis eorum, missos faciant. Sed magnus Rhodiorum Magister nec precibus motus, nec minis territus, nihil horum qua postulabantur fecit. Imò Regis TVNICII fratrem & priores ejus, quos navi omnes ceperat, vinculis & custodia mancipavit: reliquum vulgus ad fossata urbis excudenda adque alia laborum necessaria, deputat.

Postulatio Soldani à Rhodiis.

CAPVT

CAPVT XX.

Philermo. molendina Rhodia. Castrum Petri. inibi miræ sagacitatis canes. Cyclades insulæ. Maris Ægæi navigandi difficultas.

Philermo. **D**IE 7. remorante nos navi profecti sumus ad PHILERMO: Est verò quinto à Rhodo miliari collis altissimus, & super eo templum Virgini Deipara sacrum, ubi concioni & precibus vacavimus. Erat ibi civitas quondam magna & munita, hodie modicum castellum, sed firmum. Inde Rhodum reversi. In portu Rhodio sunt 13. magna turres, molendina aëria continentes, à Genuensibus captivis in pœnam prodicionis & communis utilitatis constructa. Porro in Rhodiorum castro residet magnus MAGISTER IOHANNITARVM plures sub se habens adjacentes insulas, præcipuè tamen castrum quoddam in orâ Turcorum situm, quod ad S. Petrum dicitur: ubi multos canes (mirum dictu, credituque difficile) edoctos habere dicuntur, qui in hostilem terram noctu emissi excurrant, & si quos invenerint infidelium, continuo invadant ac plerumque discerpant: Christianos verò olfactu cognoscant, eisque ad castrum prædictum & viam & munimen præbeant. Traditur & hoc de iisdem canibus, quod ad Campana sonitum sine mora conveniant, atque cibo accepto abacti quasi exploratores atque emissarii ad dictam rem discedant. Christiani apud Turcos in confinio captivi hoc scientes, quando favente DEO possunt, versus hoc castrum noctu aufugiunt, atque à canibus ad suos deducuntur. Nam & eo tempore nos unū vidimus ex partibus Russia tali modo evasisse. Ejusdem diei vespërâ sumta refectiōe, comparatōque commeatu navem conscendimus, atque sine mora inde solventes navigavimus leni admodum vento.

Die 8. velificavimus inter sparsas per aquor Cycladas, cum maximo & piratarum & maris fluctu vagi timore ac periculo. Jugiter enim die noctēque excubavimus, semper in armis, parati si res tulisset, sine mora configere. Porro CYCLADES insula

Cyclades
insulæ.

insula in mari Aegeo sita, quod Arcipelagus nunc dicitur, idè sic nominantur, quia cycli in morem rotundè disponuntur. Sunt autem 74. numero: omnes inter Aegaeum & Malaum maria, constituta. In quarum medio Delos est, quæ & Ortygia, à Coturnicibus ibi primùm visis, & Pirpile ab igne primùm reperto illic: à quibusdam præterea Asteria, ab aliis Cynthia denominatur. Ex Cycladibus prima est ad ortum Rhodos: prima ad Austrum Carpathos: prima ad Septentrionem Tenedos: prima ad occidentem Cythera. At verò mare Aegaeum navigantibus, adèd est periculosum, ut nullum esse credatur aliud quod majores efferat aut periculosiores motus, neque quod magis ab alto immurmurando intonet.

Delos quæ
& Ortygia
& Pirpile
&c.

Rhodos.

Carpathos,
Tenedos.

Cythera.
Mari Aegeo
navigandi
difficultas,

CAPVT XXI.

Nautica aëris captatio. captura Echinorum. novatum ex Chio. Cretenses flagellatores. novatum ex Rhodo.

DI 9. ex Cycladibus gratiâ Dei eruti, venimus in conspectum CRETAE juxta promontorium Samonium sive Salomonem, ubi, quia tunc placidum ventis stabat mare, nihil ferè nitendo remis profecimus.

Vide de hoc
promontorio supra
lib. I. cap. II

Die sequenti Nauclerus noster digito in os merso atque in aëra extento dum ventos captasset, eosque continuò salubres affuturos prædixisset, venerunt quidem sed admodum lenes & pigri, ut eorum flatu nihil ageretur.

Nautica aëris captatio.

Die II. CRETAM appulsi portus intramus amicos, atque ibi nonnullos commorati dies vidimus inter alia ECHINORVM capturam.

Sunt autem ECHINI, ut ait Plinius, genus parvorum piscium, hirsutorum, ex cancrorum genere: semipediales magnitudine, virtutis admiranda, ita ut navis cui adheret Echinus, licet plenis per mare decurrat velis, & cuncta maris deservians procella, quasi radicatam & immobilem eam firmet.

ECHINI,

Virtus Echini.

T

De

De quo Lucanus lib. 6.

Non, puppim retinens, Euro tendente rudentes,
In mediis Echinus aquis &c. (intellige defuit.)

Captura
Echinorum

Capiuntur autem tali modo: Nudant se nandi peritiores, ac nudos cultros manu gestantes, gradiuntur pedetentim per saxi asperum littus, cui libenter Echini adhaerent: simulq; visio maris scrutantes fundum, pedibus etiam ubi visus non attingit, pertentant. Quos ubi vel visu, quia nigri sunt, vel pedibus, quia spinosi, apprehenderint: capite sub aquammerso, pedibus interim supra aquam eminent: & unâ se sustinentes manu, alterâ, quâ cultrum tenent, Echinum à petrâ avellunt, atque in superna elatum in connatantem sibi sportulam conjiciunt. Eduntur verò crudi, solâ effusâ aquositate.

Comestio.

Novum ex
Chio.

Die 22. Aprilis, quâ fuit eo anno vigilia Pascha, ex CHIO insulâ triste novum accepimus, tres scilicet myoparones Rhodiorum à Turcis interceptas & necatas. Ante hunc verò diem, id est, pasceves, vidimus spectaculum quoddam cruentum. Erant CRETAE in comitatu trecenti fere, Latini & Graci, qui veste ignotâ faciem totumque corpus velabant, solo excepto dorso. Hii per omnes plateas obeuntes, flagris acutissimis dorsa cadebant, adeo, ut flagella, vestes, tota caro, ac platearum solum, cruore manaret. Ferebant verò, quosdam inter eos fuisse, qui id genus flagellationis in recompensam passionis CHRISTI sponte & superstitiosè subirent. Majorem verò partem fuisse, qui id ipsum, precio ab aliis conducti, facerent & paterentur. Moris enim esse senioribus terra illius: ut cum ipsi aut praesenio aut valitudine corpus suum acerbius tractare non prevalerent, alios qui id loco eorum agant, subordinent. Itaque plures videas Ephæbos, amore pecunia corpus suum, quasi truncum aut statuam sine sensu, saviendo ferire amentissimè, ictus sonare, saniem profluere, ac omnia cruore fedari. Quid enim non mortalia pectora cogit, auri sacra fames? adde, vana mortalium superstitio à jussis DEI erronea? Ad hoc spectaculum civitas tota effusa, adulti & pueri,

Flagellatores
Cretenses
in pascevi.

Conducti.
ci.

maces

mares & fœmina, per intervalla quisque linguâ suâ, Græci & Latini, acclamitant: *Misericordia, misericordia.*

Die 24. melius priori audivimus novum. *Galeam scilicet* Novum ex Rhodo, *unam Rhodiam, myoparones Turcorum seu fustes septem, quæ nuper suos ceperant & necârant, versâ fortunâ comprehendisse, & captivos quidem aliquot, prædam verò omnem recuperasse: ob quam victoriam grates supplices per totam insulam decreta essent.*

CAPUT XXII.

Describitur Delphinus. omen conspecti ejus nauticum.
subsequentum discrimen mari. Nauticæ vitæ miseria.
Nautæ jocus. in Candiâ mora. Insulæ natura.

DI 23. ex portu Candia solvimus: progressique paucis in altum miliaribus sumus: cum ecce vacuum ventis stetit mare, ita, ut nec procedere nec regredi omnino daretur. Adfuerunt mali hujus ostenta pisces Delphini, jactu lapidis à navigio se volutantes. Qui insuper nostrorum cantu ac fistulis propius navem allekti, visibiliores se nobis prabuerunt. Est vero *DELPHINUS* piscis marinus, vel potius Oceani belua, Delphinus, omnium non modò marinorum sed etiam terrestrium animalium, velocissima: penè volucrem aquans. Et nisi multum infra rostrum os illi foret medio ferè in ventre: nullus piscium celeritatem ejus evaderet: sed moram adfert Natura providentia, quia nisi resupini non corripiunt. Lingua illis est, Delphini linguam habent, contra aquatiliam naturam, mobilis, pro voce gemitus humano similis: dorsum repandum, spina dorsi cultellata, rostrum simum, unde & nomen simonis agnoscere dicuntur. Mulcentur arte Musicâ, præsertim Symphonie cantu. Hominem non expavescit, obviam navigiis venit, ut dicitur *Arione* Citharædo Arion, produnt historia. Puerorum ducitur amore, id quod Appion se vidisse apud Puteolos scribit, idem & Theophrastus tradit. Sed horum piscium visio infausta nobis ac penè exitialis fuit.

Omen con-
specti Del-
phini.

Observatum quippe nauta habent, in quam se partem Delphini volutent, ex eâ ventum, tempestatem, turbinem, oritur. & non nisi mari tranquillo aut in tranquillum vergente, eos se volutare.

Tempestat
subsequuta
mari.

Dum itaq; pacato mari aliquandiu laboraremus: (quem admodum contingit sapius, ut in melius mutatio, malorum soleat esse principium) Ecce turbo violentus ventusque increvit contrarius, simul & fluctus intumescere, caligóque cuncta complevit: ut nec mari progredi, nec velum demittere possemus. Cum vento igitur conversi, actam relegimus viam. Pavor tunc non modicus mortisque formido invaserat cunctos, veretum, cuius piscis aut belua intestina repleturi essemus, revolvantibus

Fugerat ore color, sanguisque reliquerat artus,

Horruerat gelido corpore laxa cutis.

Fraschea fi-
nus Can-
diae.

Nauticarum
vitarum
miseria.

*Navis enim velut temulenta saltans, plarumque fluctibus inferior erat: nonnunquam imbrem marisque recipiens procel-
las tota fere nobiscum operiebatur, in momento iterum ena-
tans: saepenumero etiam fluctibus super eam jam jamque ir-
ruere volentibus quasi & ipsa periculum timeret, festina eva-
sit. Sed, quia misericordia DOMINI multa, omnis illa procel-
losa tempestas tandem conticuit. Quo factum est, ut in sinum
quendam CANDIAE angustum, cui FRASCHAEA nomen, con-
fugeremus, ibique jactis anchoris pernoctantes, ventis ac im-
bribus tota exagitati sumus nocte. Qua quaso, Amice lector,
nautarum sorte potest esse durior? quos aestus & frigora eos to-
lerare, quos perhorrescere, tonitrús & fulgura, quibus perfun-
di imbribus, quâ ventorum agitari rabie, quotidie ac ferè in ho-
ras necessum est? Quoties eos torqueri fame ac siti, quoties
squalore etiam teterrimo consumi, contingit? eorum instar
carcerum habitatione, supellex vel nulla, vel sordidissima,
strata dura, cibaria aspera, & ad qua ferreis opus esset denti-
bus, potus immundissimus, spurca indumenta, incommoditates
rerum omnium, noctes insomnes, & sub divo semper & inquieta,*

Taceo

Taceo perpetuum alioquin quoddam eorum exilium, qui patriâ extorres, profugi, vagi, palantes, ignari quietis, privati omni (quoniam nihil in vitâ dulcius) conjugis subolisque fructu ac jocunditate. Quis non abjectissimos longèque omnium mortalium miserrimos tales judicet? Prætereo Scyllam, Carybdim, Syrtes, Malaam, Simplegades, tot infesta navigio eorum pericula. Obmitto tempestates, quibus nec visu quidquam tristius nec horribilius est, quibus ad summum usque discrimen quotidie jactantur, quatiuntur, & quod sæpe accidit, submersi tandem mari obruuntur? ô stultas & supervacaneas humana cupiditatis occupationes! qui terrâ non contenti fragili exiguoque ligno, quatuor aut quinque à morte semoti digitis, preciosam perpetuò committere audent animam! securi interea, præfracti ac petulantes. Rogatus enim aliquando Nauta, ubi nam pater ejus obiisset, in mari inquit. Cumque idem ille de avo, proavo, atavo, abatavo, nominatim quæsisset, responsûmque idem accepisset de singulis, intulit: Et numquid tu, inquit, mare ingredi non times? Respondit nauta dissimulans: Et ubi nam tuus obiit pater? Suo, ait alter, in lectulo. Ubi avus, urget? & ipse, ait, & proavus & majores mei omnes in suis obire lectis. Tum nauta: num tu, inquit, non times tuum ascendere lectulum? Hac de Nautis.

Loci infesta
nautis in
mari.

Locus Nautæ.

Die 26. Sole jam exorto, quia ventus contrarius iterum surgebat, propèque esset urbs CANDIA: rursus in portum ejus cum ingenti turbine & pluvia sumus impulsî. Ceterum non oblitî in quali fuerimus terrore & periculo, dato naulo Patrono, ei valediximus, antiquum repetentes hospitium DEO omnipotenti gratias agimus. Posthac cum unâ nave grandi inito pacto, trajiciendi VENETIAS, tam diu ibi commorati sumus, donec navis justum onus recepisset. Interim verò multis Nobilibus & Venetis & Græcis familiares effecti, jocundè & honestè inter eos habitî sumus. Ceterum de CANDIA superiori libro satis dictum, cui tamen hoc adjicere libet. Tradunt hanc insulam pecore abundantem: lupis, vulpibus, serpentibus

Lib. I.
cap. II.

Natura Cre-
ta five Can-
diz.
Vngues mu-
liebres in
Candîâ.

Titi Sepul-
tura in Can-
diâ.

*acceteris carere animalibus noxiis, & si quid fortè talium il-
luc aliunde sit illatum, continuo mori. Morsus ac laceratio-
nes unguibus muliebribus factas lethales omnino esse inibi tra-
dunt, & sine remedio. In hac insula S. Andreas, antequam in
Achaïam iret, predicat: Post eum verò B. Paulus: qui & dis-
cipulum suum Titum illic ordinavit Episcopum, requiescentem
ibidem in sui nominis Templo.*

C A P V T X X I I I.

Discessus aliâ navi ex Candîâ. sinistra iterum fortuna mar-
nova tum ex Rhodo. tempestas cum terræ motu. Mal-
vasia castellum. Lacedæmonia. Corinthus. Patros.

Turbo re-
troagens.

Nova tum
ex Rhodo.

Nea.
Paros.
Policandru.
Prom. cervi.
Naxus.
Milo.
Falconaria.

DI 23. Maii, postquam navis nostra debitum accepisset
onus, ventus quoque vocaret vela, DEI OPT. MAX. in-
vocato nomine, provehimur portu, explicatis omnibus velis, quæ
vento leni impleta, paulatim navim promovebant. Verùm qui
ventis credit, ventis ipse levior est. Ecce enim turbo contrarius
statim exortus, à proposito nos itinere retrò agens, in Candia
angulum FRASCHEAM (ubi & priorem tempestatem decli-
nâramus) etiam renitentes omnibus viribus, impellit: ubi com-
plicatis velis, jactis que anchoris substitimus biduo, ventum se-
cundum expectantes. Interim dua Venetorum Galea armata,
simili acta fortunâ, ad nos divertentes, retulerunt nobis: Tur-
cos cum 30. diversi generis navigiis (qua bombardis, scalis, aliis-
que ad capiendas expugnandâsque urbes faciunt, instrumen-
tis plena erant) à Rhodiis interceptos: cujus rei nuntium & li-
teras Duci Candia allatas se vidisse dicebant.

Die 26. ventum lenem nacti, exinde surreximus, ac non ju-
